DE

Valerio Flacco

APOLLONII RHODII IMITATORE

NANCEII. — TYPIS BERGER-LEVRAULT ET SODALIUM.

H.F.u.f. 81 1 (299 2)

DE

Valerio Flacco

APOLLONII RHODII IMITATORE

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ DE PARIS

THESIM

Litterarum Facultati in Uniuersitate Parisiensi proponebat

RENÉ HARMAND

IN LITTERARUM ORDINE UNIVERSITATI AGGREGATUS, FACULTATIS PARISIENSIS OLIM ALUMNUS
IN NANCEIENSI LYCEO PROFESSOR

NANCEII
TYPIS BERGER-LEVRAULT ET SODALIUM

M D CCC XCVIII

DUNS
N°34031

PPN064669963

ORNATISSIMO ET DOCTISSIMO VIRO

AUGUSTIN CARTAULT

Latinae poeseos in Facultate Parisiensi
Magistro

GRATISSIMI ANIMI PIGNUS

D. D. D.

Biblioteca Nacional de Maestros

DE VALERIO FLACCO

APOLLONII RHODII IMITATORE

PROOEMIUM

Romani ipsi agnouerunt se multum Graecis debere; Tullius enim fatetur Latinam gentem plurimum in doctrina profecisse ex quo cum Graecis uersari coeperit[1]; neque uero dubium est quin Romanorum ingenium et artem multum excoluerit Graecorum imitatio. Poetae in primis ingenti studio ad illam adsiduam Graecorum familiaritatem se contulerunt, eorum praesertim qui olim Alexandriae poesim ex antiqua forma haud infeliciter inflexerant; inde ipsi nouam pulchri imaginem hauriebant, siue Graeca opera in patrium sermonem uertenda curabant[2], siue tantummodo doctam illam elegantiam et suauitatem, Romana grauitate temperatam, sibi adsumebant. Plerumque enim Latini illi comoediarum et lyricorum carminum scriptores secum aliquid retinere solent, quod ueram patrii ingenii speciem exhibeat; sed raro fit ut nobis liceat quatenus imitator ab exemplari suo discesserit perpendere. Nam omnia fere illa exemplaria quae totiens olim diligenter uersata erant, Gothica barbarie diruta sunt; neque ulla prope iam spes superest fore ut aliquod Menandri opus, ad hunc diem ex oculis nostris subductum, rursus in lucem proferatur. Quare semper timemus ne nimium de Terentii uel Plauti ingenio detrahere uideamur, cum illorum opera

1. *Tuscul. disput.*, I, 1, 2 sqq. Cf. VERGILII *Aen.*, VI, 847 sqq.

2. Adde quod Atacinus Varro, Valerio Flacco uiam aperiens, fuit Apollonii non spernendus interpres, ut ait QUINTILIANUS (*Inst. orat.*, X, 1, 87), sed, quod nobis ex paucissimis uersibus coicere licet, aliquantum timidus et usque ad ariditatem euectus, nec tamen neruis et felici res depingendi facultate carens.

aestimare conamur. Quid enim Menandri et Diphili fabularum restat? Multum tamen optemus ut perspicue quid Romanus poeta sit mutuatus, quid noui addiderit, quatenus Graeci artem expresserit dignoscere possimus ; hoc autem nobis plerumque mala fortuna inuidit. At nihil obstat quin Valerium Flaccum cum Apollonio conferamus, quod ita felix occasio tulit.

Cum de Valerio Flacco ueteres nihil tradiderint, et unus Quintilianus obiter piis benignisque uerbis poetam illum laudauerit, pauca sunt in eius uita quae doctissimis uiris illustrare liceat ; immo nomina ipsa quae Vaticano codice ei attributa sunt, saepius criticos turbauerunt et in iurgia impulerunt[1] ; at quia posteris opus tradidit, propria arte signatum, operae pretium esse nobis uidetur illius ingenium aestimare, et quid e Graeco exemplari deprompserit, quid autem ex se extulerit, requirere. Quod ut adsequamur, iam in animo habemus Valerium siue in singulis locis, siue in tota rerum compositione et arte cum Apollonio conferre, et quae imitator effinxerit uel omiserit, copiosius dilatauerit uel parcius adstrinxerit, qua mente Graeci poetae sensus personasque commutauerit, quo denique iudicio, quo ingenio opus suum scripserit, explorare. Inde colligi poterit non solum quae fuerit Latini poetae Graecum opus imitantis ratio, sed etiam quas uere proprias uirtutes exhibuerit.

---

1. De C. Valerii Flacci Setini Balbi uita disseruerunt G. Thilo, in editionis praefatione, p. I-VII, — Karl Schenkl, *Studien zu den Argonautica*, Vien, 1871, p. 1-12, — Joannes Peters, *De C. Valerii Flacci uita et carmine*, p. 1-14. — In *codice Vaticano* haec poetae nomina inscripta sunt : G. Valerius Flaccus Balbus Setinus ; nonnumquam inuertitur nominum ordo ; quater etiam (lib. IV, VI, VII, VIII), *Setini* tantummodo cognomen huic legitimae appellationi « G. Valerius Flaccus » additum est. Thilo nobis uidetur falso omnia haec cognomina accepisse ; quae probabilius est ad ueterem aliquem libri possessorem referri debere, et ab ignaro quodam scriba forte in operis titulo esse inclusa. — P. Marcellus Corradinus in libro « *De ciuitate et ecclesia Setina* » coiecit Valerium e Setia Latina urbe exiisse. Sed plures urbes hoc nomen habent ; quare Schenkl (p. 4) putat scriptorem Hispanum fuisse et in uno ex duobus illis oppidis natum, quibus haec eadem appellatio attribuitur, et quorum unum in Tarraconensi, alterum in Baetica prouincia situm fuisse dicitur. — Sed quae est illa dicendi duritas, quam Schenkl ut peregrini sermonis indicium in Valerio reprehendit? (Vide extremae paginae 5ae annotationem). — Cf. Peters qui nihil de hoc diiudicat. — Thilo confirmauit Flaccum illum cui Martialis plura epigrammata misisset nihil commune cum poeta nostro habuisse, neque eiusdem fuisse aetatis. — Peters demonstrare conatur Valerium anno post Chr. natum 74 poema recitare coepisse, et in duobus locis ad Hierosolyma a Tito capta (I, 13) atque ad Petilii Cerealis in Britannia expeditionem (I, 8, 9) spectauisse, quae quia ueri similia uidentur, opus post annum 71 compositum esse liquet : nec dubitari potest quin poeta uastum illud Vesaeui incendium (IV, 507) memorauerit, quod anno 79 accidit ; hanc igitur operis partem sub idem tempus uidetur esse aggressus. — In primi libri prooemio quo Vespasianum eiusque filios laudat, Domitiani quidem poeticam facultatem extollit (u. 12, sqq.), sed Schenkl in hoc errauit quod Domitianum hic ante omnes laudari existimauit et eundem illum iuuenem sub Germanici nomine Arati *Phaenomena* interpretatum esse coiecit. Difficile autem est Germanicum, Drusi filium de hoc loco demouere, auctore Lactantio (Cf. Schenkl, p. 6 sqq., et Lactantium, *Diuina Inst.*, V, 5). Sane uerba quaedam ex hoc poemate Valerius uidetur in suum prooemium inseruisse, sed in hoc nihil est quod miremur. Quare docto uiro Peters qui Schenkelii sententiam refellit adsentimur (p. 12-14). — Ceterum non ante annum 84 et uictoriam e Chattis relatam Domitianus hoc Germanici cognomen ipse usurpauit. (Cf. Frontinum. *Stratagem*, II, 11, 7, et Schanz, *Gesch. der röm. Litter.*, 1892, t. II, n. 364.

I

De rerum ordine et Argonautarum itinere.

Valerius idem argumentum quo iam Apollonius usus erat adhibuit neque materiam plane inuertendam curauit. Nam Iasonis uirtutem et industriam intra fines iam a Graeco poeta descriptos tenuit, et ad Argonautarum expeditionem tantummodo spectauit. Quamquam opus, intercedente morte, perficere non potuit[1], nihil causae est cur fortis Iasonis et ferocis Medeae facinora longius narrare umquam constituerit; sane cum Phoebi templum depingit, inter caelatas illas imagines quae futura praenuntiant, inclitissimae sagae imaginem ostendit aligero curru aera transuectae[2]; at nihil certi ex hoc coicias. Quid enim mirum quod adeo uulgatam et, ut ita dicam, peruagatam fabulam obiter significauerit? Quam tamen parum probabile est ab eo totius poematis argumento esse additam. Uterque uero poeta fortium nautarum, unius ex illis praesertim egregia facinora uariosque per immensa maria euentus canit; ab utroque tamen abest acris illa et alta mens qua Pindarus, in Pythico carmine, herois conatus depinxerat, sacri Oceani magnitudine et arcanis uehementissime motus. Apollonius autem et Valerius ad hoc potius attenderunt ut legentium animos delectarent; quamquam inter se arte et ingenio multum differebant et Alexandrinae aetatis poeta eruditione plurimum ualebat, multa tamen erant quae imitator mutuando sui propria efficere posset. Iasonem quidem et Medeam non poterat non inducere mutuo amore flagrantes, at nihil impediebat quin in his personis multa nouaret et rationem qua res inter se apud Apollonium exciperent, ingenio suo obsequens, retractaret. Plerumque enim eligit, pauca integra in opus transferens, multa consilio omittens, plura immutans, uel explicans uel in angustiores fines concludens; immo uero multa plane noua adicit et complu-

1. Cui sententiae accedunt Petrus Burmann in prima praefatione, Ed. Lemaire, p. cii, et Thilo, *Proleg.*, XXVI sqq., et Schenkl, p. 11, et Peters, p. 15. Contra Nic. Heinsius et nuper Baehrens putant Valerii poema absolutum siue Gothica barbaria, siue scribae alicuius ineptia partim corrumpi potuisse. Illis potius adsentimur. De hoc praesertim legenda sunt Thilonis *Prolegomena*.

2. Valerii *Argon.*, V, 442 sqq.

rium personarum, seu homines, seu Dei sunt, condicionem et mores ad suum arbitrium informat; ita ut Apollonium non solum imitari sed propria arte aequare uoluisse uideatur.

E Graeco igitur poeta uarios rerum euentus et argumentum et quasi operis structuram deducit et eadem materia utitur, aliter distincta. Uterque enim uidetur in unum idemque textile earundem personarum dissimiles inseruisse figuras. Sic Apollonii prooemio satis apte neque tamen ad uerbum respondent illi uersus quibus Valerius carmen aggreditur. Scripserat haec Rhodius poeta :

> Ἀρχόμενος σέο, Φοῖβε, παλαιγενέων κλέα φωτῶν
> μνήσομαι, οἳ Πόντοιο κατὰ στόμα καὶ διὰ πέτρας
> κυανέας βασιλῆος ἐφημοσύνῃ Πελίαο
> χρύσειον μετὰ κῶας ἐΰζυγον ἤλασαν Ἀργώ.

Quae quidem exculta et dulci breuitate lucent, nauigationis causam et finem et iter et pulchrum nauis ipsius bene armatae speciem designantia. Multo autem uehementius, non sine quodam tumidae orationis impetu, exclamat Valerius :

> Prima deum magnis canimus freta peruia nautis
> Fatidicamque ratem, Scythici quae Phasidis oras
> Ausa sequi mediosque inter iuga concita cursus
> Rumpere, flammifero tandem consedit Olympo.

Cum uero in eiusmodi prooemiis poetae res quales narrare constituerint significare soleant, dubitari potest num Valerius ipsam fabulosae Argonautarum nauis figuram plane mutatam et in astrum conuersam excogitauerit sibique describendam reseruauerit, Ouidii uestigia secutus et Vergilio [1] potissimum aemulatus. Non enim in hoc exordio uidetur forte et neglegenter mirabilis illius facti memoriam repetere ; quem dicas potius haud sine causa extremum hunc uersum scripsisse. Sed res ambigua est, quoniam opus haud perfectum pependit. Si uero nouam illam diuinamque Argus speciem expressisset, non multum extra modum quem sibi imposuerat esset progressus.

Rerum ipsarum ordinem et Argonautarum iter nequaquam immutauit ; in hoc fideliter Graecum exemplar est adsecutus. In Valerii quoque carmine Argonautae, postquam funem soluerunt, Pagasas portum a tergo sensim infra fluctus delapsum uidentes, Aegaeum mare traiciunt, et Lemnum insulam petunt in qua multum Veneris uoluptatibus et acri uiduarum mulierum amori libenter concedunt,

1. V. *Aeneidos* librum IX, 77-122.

e fortibus nautis formosae potentisque Deae dociles facti cultores. Inde Thessalici heroes, ubi Samothracam, sacris inclitam reliquerunt, Dolionum fines praeteruecti, cum Cyzico rege amicum foedus coniungunt et hospitali mensa fruuntur, sed cum rursus abierunt, ad funestum illud litus noctu repulsi, recentes hospites et ipsum Cyzicum confuso improuisoque proelio ignari trucidant ; ut uero regis corpus sepulcro condiderunt et ipsi piacula fecerunt, ad Mysiam appellunt ubi amore capta Nympha prope fontem, imminente luna, puerum Hylan, aetate et mirabili pulchritudine florentem rapit et ita procul a sociis deducit Herculem, amici desiderio consumptum. Hinc ad Bebrycum litora postquam Pollux crudo caestu ingentem Amycum afflixit, Bosporum traiciunt et a Phineo Harpyiis, horrida peste, depulsis, uaticinia et consilia, grati animi pignus, accipiunt. Quid nobilia illa saxa memorem, quae felix heroum audacia in aeternum sistit et tot Mariandynorum ac Tibarenorum gentes prateruectas et illas Phasidis oras, in quibus Iason noua fata est incohaturus nouasque res aggressurus ? Cum igitur rerum tantummodo ordinem inspexeris, iudicabis Valerium non multum ab Apollonio secessisse, quamquam, quod nos speramus mox demonstraturos, multa noua propria arte composita addidit et plura etiam inuertit ad ingenium suum accommodata. Ceterum ueri simile est Valerium, si quidem opus morte interruptum fuit, iam in animum induxisse ut heroas in patriam redeuntes eodem itinere reuocaret quod iam eis inter multa alia Apollonius elegisset. Sed nihil de hoc affirmare licet. Flaccum tamen nihil prohibebat quin nouum iter Argonautis adsignaret, a communi fama abhorrens uel raro a scriptoribus memoratum ; libere enim, nullo aduersante neque uituperante, Graeci poetae uestigia plane deserere et ex alio fonte haurire potuit. Nam ueteres Graeci uidentur neque quicquam certi de illa expeditione mente tenuisse, neque ad hoc spectauisse ut densas antiquissimi temporis nubes discuterent et ueras res in lucem ederent. Inde quot exstiterunt poetae uel historici, tot fabulae allatae sunt ; multum enim inter se discrepant testimonia. Nempe Hecataeus Milesius adseuerat heroas per Phasidem in Oceanum, inde in Nilum intrauisse[1] ; alius contra scriptor, quem scholiasta falso Hecataeum nominauit et Sophocles[2] et Herodorus[3] tradebant nautas eadem uia qua Colchica litora petiissent rediisse ; quos quidem auctores non iam ad remotissimam memoriam accedere putamus, sed eius aetatis esse qua ueteres fabulae consilio et ratione excuti erant coeptae. In Pythicis uero carminibus Pindarus obiter transuec-

1. *Schol.* Apoll. Rhod., IV, 259.
2. In *Scythis. Schol.* Apoll. Rhod., IV, 284. — Didot, *Hist. fragm.*, t. I, Hecataeus, n. 187.
3. *Schol.* Apoll. Rhod., IV, 259. Didot, t. II, *fragm.*, 55.

tum Oceanum et Erythraeum mare significat[1], quasi illam expeditionem cui mens humana impar esse uideretur, sacra obscuritate uellet inuoluere. Plures autem alii inani scientia, magna diligentia haec explanare conabantur. Nam geographiae doctrina non ita ad perfectionem progrediebatur ut tenebrae illae dissoluerentur. Sensim haec fama praeualebat nautas e Ponto ad septemtrionem, deinde ad occidentem esse regressos ; quod locorum naturae, iam melius exploratorum, parum conueniebat. Sic Timagetus, si Apollonii scholiastae credimus, in primo de portubus libro Phasidos fluminis cursum describebat, de Celticis montibus in paludem quandam decurrentis, mox in duo bracchia diducti, quorum unum ad Tyrrhenum mare, alterum ad Pontum tenderet ; idemque cum adderet hac uia redeuntes Argonautas Hesperia litora esse aduectos[2], ignarus sane in Phasidem Histrum effundi excogitauerat. In similem culpam incidit Timaeus qui Socrati æqualis erat. Hic quia diligenter nominum et morum quasdam similitudines apud Colchos et Illyrici uel Graeci litoris accolas notauerat, Argonautas narrauit per Tanaim aduerso flumine nauigauisse, inde nauem in umeros extollentes ad Inferum mare facile descendisse[3] ; quem uidetur secutus esse Scymnus, scriptor ille qui uersibus describendae terrae rationem exposuerat, cum heroas declarat aliquam itineris partem pede confecisse[4]. Denique Apollodorus se multum profecisse putat, quia Histro flumen Eridanum substituit[5]. Quæ omnia neque Eratosthenes[6], qui sub Ptolemaeis florebat, neque postea Artemidorus[7], cum de terrarum situ ample dissererent, ullo modo illustrauerunt.

Sane haec opinionum de fluuiorum cursu et nomine dissimilitudo plurimos errores designat, in quos docti illi uiri maiore traditarum rerum reuerentia, minore autem locorum cognitione inciderunt. Cum tamen ab Apollonii temporibus usque ad Vespasiani principatum plurimum aucta esset regionum terrestrium aut maritimarum descriptio, et multi nouas res attulissent, confusas explicauissent, falsas correxissent, multa erant in his scriptoribus quae Valerio non difficile fuisset reddere. Nam, si plura in his antiquis operibus essent quae tunc fabulosa et praua iudicarentur, ad stimulandum docti poetae ingenium potissimum apta erant, qui alia reiceret, alia uero eliceret atque ad usum suum uerteret, materiam renouandi coloresque uariandi causa. Sed Valerius tam parum in hoc religiosus et diligens erat ut eum nullo modo paeniteret Apollonii uestigia insistere et e Ponto Argonautas depingere in Histrum intrantes, inde

---

1. Pyth., IV, 251.
2. *Schol.* Apoll. Rhod., IV, 259.
3. Diodorus Siculus, IV, 56.
4. *Schol.* Apoll. Rhod., IV, 284.
5. Apollodori *Bibl.* in *Fragm. hist. græc.*, I, 9.
6. *Schol.* Apoll. Rhod., IV, 259.
7. Id.

in Padum exeuntes et Tyrrhenum mare petentes. Non enim est obscurum tali itinere apud Latinum poetam progressos esse heroas, quamquam opus interruptum coniecturis aliquid concedit. Nec facile adsentiemur critico qui putauit poetam, si libros absoluisset, in extremam operis partem multa noua allaturum ; ac dubitari potest num heroas mente concepturus fuerit umeris nauem transuehentes ut per Europae interioris montes Histrum et Padum longa uia iungerent[1]. Cui rei plane repugnant Ergini uerba, iter quod sequi debeat indicantis :

> Haud procul hinc ingens Scythici ruit exitus Histri,
> Fundere non uno tantum quem flumina cornu
> Accipimus ; septem exit aquis, septem ostia pandit.
> Illius aduersi nunc ora petamus et undam
> Quae latus in laeuum ponti cadit ; inde sequemur
> Ipsius amnis iter, donec nos flumine certo
> Proferat inque aliud reddat mare[2].....

Attamen, qua aetate Valerius florebat, nemo adhuc erat qui crederet Pontum in Hadriam duobus fluuiis pertinere uel Phasidis et Histri ac Padi cursum male discerneret. Multa sunt quae hoc declarant[3] ; sic Strabo, cum Eratosthenem refutat, qui Internum mare olim cum Rubro confluxisse adserebat, Apollonii eiusque aequalium opinionem deridet et Histri fluminis cursum apte circumscribit, quamquam fatetur pluribus signis agnosci posse antiquum Argonautarum in Tyrrheniam aduentum[4]. Eandem quoque fabulam refellit Plinius, qui « nullum ex Danuuio amnem in mare Hadriaticum » effundi professus, coicit multos doctissimos uiros quadam nominum similitudine esse deceptos, et cum *diligentioribus* tamen concedit « umeris trauectam Alpes Argo nauem[5] ». Strabo autem et Plinius uarios Padi et Phasidis et Histri situs maxima cura depingebant[6]. Nam eo magis perficiebatur terrarum descriptio quo melius humana mens proficiebat et longius latiusque imperii Romani fines prolatabantur.

---

1. J. Peters, *De C. Valerii Flacci uita et carmine*, p. 39.

2. *C. Valerii Flacci Setini Balbi Argonauticon libri octo ;* recensuit Georgius Thilo. Halis Saxonum, 1863, VIII, 185 sqq.

3. Quorum pleraque omittit Peters.

4. Strabo. Ed. Müller et Dübner. *Prolegomena*, I, 3, 15.

5. Plinii *Naturalis Historia*, III, 127, 128.

6. Strabonis *Geographica* Hister, VII, 1. Padus, IV, 6. Phasis, XI, 3. — Plinii *N. H.* Danuuius, IV, 79. Tanais, IV, 78, VI, 19. Padus, III, 16. Phasis, VI, 4.

II

De terrarum descriptione.

Omnium doctrinarum studiosissimi, aetatis Alexandrinae scriptores multa ex his in opera sua libenter transferebant, non solum ut eo rerum rationes intellegendi uoluptate fruerentur, sed etiam ut artem, quam a ueteribus accepissent, noua quadam forma induerent. Huic scriptores communi aequalium suorum studio et se ipsos insigniendi cupiditati obsequebantur ; nam decorum eis uidebatur, post longam illam saeculorum seriem quibus illustratum esset Graecum ingenium, res iam uulgatas et quasi tritas noua nota signare. Ad aequalium igitur exemplar Apollonius erudite et diligenter locorum descriptiones et Deorum uel heroum fabulas in carmen intexuit. Quot libros excusserat et ad umbilicum euoluerat ! Epici enim cuiusque poetae carmina sibi in sucum et sanguinem uerterat, et Eumelum et Cleonem Curiensem, in primis Pisandrum et Antimachum et multos alios quorum uix nomina posteri retinuerunt, frequenter perlegerat ; neque uero tragicos neglexerat ; immo se contulerat ad historias quae heroum facta uel urbium initia longius recensebant ; et adsidue Cinaethi, Creophili, Pisandri de Hercule poemata, Asclepiadis de Bithynia, Deilochi de Cyzico, Timageti et Callisthenis de Euxino opera in manus sumpserat [1]. At cum illa tam uaria et diuersa in unum corpus redigeret et siue geographi siue mythici scriptoris partes expleret, non tamen ad uerum personas et sensus et res depingere, ac uersus dulci lepore inficere desinebat. Valerius autem, cui nihil antiquius est quam materiam ornare et apte inter se omnes poematis partes conciliare, multa omittit quae parui aestimat ut in totius operis consilium parum quadrantia et ad efficiendam illam speciem quam in animo secum habet, plane inutilia.

Plurima in locorum descriptione, qua Apollonius multum delectatus erat, recidit ; quicquid enim ad geographiam pertinebat parum curabat, neque ulla alia causa adferri potest cur nihil in Argonautarum itinere, quale descripserat Graecus, immutauerit.

---

1. De hac quaestione uide haec opera : Fabricius, *Bibliotheca graeca*, l. IV, lib. III, cap. 26, p. 262 sqq. 1795. — Couat, *la Poésie alexandrine*, l. III, ch. 1.

Hoc autem, si ad ipsam rerum narrationem attendimus, clarius uidebitur. Sic illa oratio qua Phineus uates Harpyiarum impetu liberatus futura Iasoni praedicit et uiam qua sit progressurus et singulos litorum adspectus exprimit, latioribus a Graeco, strictioribus a Romano cicumscribitur terminis [1]. Variatur quoque rerum color et species. Valerius enim laudando Iasoni plures uersus adhibet, cum senem fingit praeclara illa certamina nuntiantem, quibus heros, Colchis opem ferens, Aeetae fratrem sit debellaturus. Sed ubi Apollonium imitatur, tum etiam ab eo multum discedit ; apud illum enim Phineus plurimorum locorum nomina tradit et de nauigatione plurima praescribens, Argonautas diligenter monet qua arte e Planctaeis euadere possint ; quem subito nauis gubernatorem euasisse dicas, cum suadet Iasoni ut Bithynium litus usque ad flumen Rheban et Melan promuntorium effugiat, denique cunctas gentes terrasque ad unam nominat. Quid memorem Thynian portum et Mariandynorum litus cum Acherusia promuntorio et Acheronte fluuio qui ex imo anfractu exundat, Paphlagonas et Thermodontis aquas, Halym et Irim flumina, Carambis Themiscyriique scopulos ? Sunt deinde Tibareni et Mossyni, Martis insula, Philyrorum et Macronum et Bechirarum et Sapeirarum et Byzerum et usque ad Phasim flumen multae aliae gentes [2]. Graecus igitur poeta nihil omittit, uaria quaeque loca accurate describens et ita designans ut facile agnoscantur et id quod uere peculiare ac singulare habeant emineat ; sic Bithyniae scopulos dextra nauigantium manu erectos (u. 347) et praeruptas inter ripas profluentem Acheronta (u. 355) et Carambis altitudinem (u. 361) indicat ; legentis, ut ita dicam, oculis subiciuntur turbidus Halys et candidus Iris (366-368) et Thermodontis stillantes aquae, ad litus leniter descendentes (370-372). Quae omnia regionum facies reddunt et integras seruant, nec

---

1. Apoll., II, 311-410. — Valerius, IV, 553-625.

2. II, 345 sqq.

. . . . . ἦν δὲ φύγητε
σύνδρομα πετράων ἀσκηθέες ἐνδοθι Πόντου,
αὐτίκα Βιθυνῶν ἐπὶ δεξιὰ γαῖαν ἔχοντες
πλώετε ῥηγμῖνας πεφυλαγμένοι, εἰσόκεν αὖτε
Ῥῆβαν ὠκυρόην ποταμὸν ἀκτήν τε Μέλαιναν
γνάμψαντες νήσου Θυνηΐδος ὅρμον ἵκησθε.
κεῖθεν δ' οὐ μάλα πουλὺ διὲξ ἀλὸς ἀντιπέραιαν
γῆν Μαριανδυνῶν ἐπικέλσητε νοστήσαντες.
ἔνθα μὲν εἰς Ἀΐδαο καταιβάτις ἐστὶ κέλευθος,
ἄκρη τε προβλὴς Ἀχερουσιὰς οὐρόθι τείνει,
δινήεις τ' Ἀχέρων αὐτὴν διὰ νειὸν τέμνων
ἄκρην ἐκ μεγάλης προχοὰς ἵησι φάραγγος.
ἔστι δέ τις ἄκρη Ἑλίκης κατεναντίον Ἄρκτου,
πάντοθεν ἠλίβατος, καί μιν καλέουσι Κάραμβιν.....
. . . . . πολίος δ' ἐπὶ πείρασιν αἰγιαλοῖο
ἀκτὴ ἔπι προβλῆτι ῥοὰς Ἅλυος ποταμοῖο
δεινὸν ἐρεύγονται · μετὰ τὸν δ' ἀγχίῤῥοος Ἶρις
μειότερος λευκῇσιν ἐλίσσεται εἰς ἅλα δίναις.
. . . . . ἐπὶ δὲ στόμα Θερμώδοντος
κόλπῳ ἐν εὐδιόωντι Θεμισκύρειον ἔπ' ἄκρην
μύρεται, εὑρείης διαειμένος ἠπείροιο.

quicquam in rerum natura commutatur; semel tamen ausus est hominis cuiusdam sedem alio transferre, cum Phineum non Salmydessi, ut omnes prope tradebant, sed haud longe a freto in ea Thracii litoris parte quae Bithyniae obicitur finxit habitantem, sane ut poematis ordinem et fabulas quodammodo inter se conciliaret[1]. Sed nusquam copiosiorem doctrinam quam in describenda Thessalia exhibuit; quae quidem in Iasonis et Medeae colloquium inclusit; hic heros, quamuis amore percitus, amatae uirgini terram illam depingit, altis montibus clausam, neque flumina uel diuersas incolarum opes, dum patriam laudat, neglegit[2]. Adeo geographiae studuit ut maxime uetera locorum nomina memoria retineret atque usurparet; sic Aegyptum Aeriam Nilumque Tritona appellat[3].

Nihil tale apud Valerium reperias. Primum enim illum Phinei sermonem in breue coegit; hic Halym Themiscyriumque et Mossynos et Tibarenos omittit et cetera nomina obiter recenset pulchrae elocutionis potius laudem quam felicem illam et artificiosam in describendo diligentiam requirens. Immo, Lycum nominans

> ... remeat qui uictor ab oris
> Bebryciis[4]...

et mites eius mores obseruans, hunc Mariandynorum genti imperauisse memorare dedignatus est. Sed si parum studii in hoc exhibet, at certe, praeclarae arti innixus, in mouendis et delectandis animis excellit. Nempe in materia quam tractandam adsumit illa eligit quae latius explicari et lucidis uersibus significari ingeniique luminibus illustrari possint; res locupletat et uariis coloribus ita distinguit ut legentis animus impellatur, praestringantur oculi, nec tamen numquam fateamur e natura ipsa has poeticas imagines esse depromptas. Quare torrentes et multo uapore caligantes inter caua saxa Acherontis undas et rapidas Amazonum in puluere ad proelia uolitantium turmas splendide depingit[5].

> Illic pestiferas subter iuga concaua torquet
> Alter aquas Acheron uastoque exundat hiatu
> Fumeus et saeua sequitur caligine campos.....
> Ne tibi tunc horrenda rapax ad litora puppem
> Ventus agat, ludo uolitans cum turma superbo
> Puluereis exsultat equis ululataque tellus
> Intremit et pugnas mota pater incitat hasta.

---

1. V. La Ville de Mirmont, *les Argonautiques*. — *Notes*, II, v. 177, et *Schol.* Apoll. Rh. v. 177.
2. Apoll., III, 1078. V. La Ville de Mirmont (*op. laud.*). *Notes*, v. 1085.
3. *Schol.* Apoll. Rhod., IV, 269. (Cf. La Ville de Mirmont, *Notes*, p. 342, 343.)
4. Valerii Flacci *Argonautica*, IV, 589.
5. *Id.*, IV, 594, 606 sqq.

Illic obscuri et fumosi ruris, hic heroidum superbo impetu ad bellicam gloriam, instante Marte, raptarum mentes occupat imago.

Ubicumque fere terrarum situm descripsit, idem consilium adhibuit poeta. Parum enim referre putat an in poematis argumento huius uel illius insulae nomen aboleuerit, uel in depingendis regionibus quaedam parum circumscripta reliquerit. Apollonius in ea operis parte qua Argo nauis de Iolco ad Lemnum Aegaei maris oras praeteruehitur, multa loca designat, quae siue in mediis undis, siue in litore procurrunt, exstant, eminent uel in sinus cauantur[1]. Hic lucido subtilique stilo adumbrantur Thessalia πολυλήϊος, frumenti diuitissimum solum et multas inter regiones Magnesia ora[2], ubi sereni fluctus molliter uersantur, et Dolopis tumulus ; mox Homole mons in mare demitti, praerupta autem Ossae et Olympi cacumina erigi uidentur, et Athos ad Lemnum proiectam umbram extendit. At Valerius, eadem retractans, nihil ad ueritatem redigit et ingenio suo indulget. Non tamen omnino est reprehendendus ; sic non falso credidit Eurymenas esse urbem quandam Thessalicam Ossae monti confinem, ad quam Apollonius spectauisset[3]. Sed rem a uero remotam adfert, cum Argonautas narrat ab Iolco usque ad Pallenen uno eodemque die esse progressos et tantum maris spatium, concitatis fluctibus, traiecisse[4] ; ueritati propius accedebat Graecus, cum quadriduo[5] hanc nauigationem includeret. Valerius autem nonnumquam tam neglegens testis euadit ut locorum ordinem praeuertat et Sciathum insulam ante Sepiam promuntorium temere referat[6]. Longe alio colore narrationem illustrat, nam ea potissimum eligit quae facile mentem capiant et sensus sollicitent

---

1. Apoll. *Argon.*, I, 580-609.

2. Id., 583.

..... φαίνοντο δ' ὄπωθεν
Πειρεσιαὶ Μάγνησά θ' ὑπεύδιος ἠπείροιο
ἀκτὴ καὶ τύμβος Δολοπήϊος.....

3. Id , I, 597.

κεῖθεν δ' Εὐρυμενάς τε πολυκλύστους τε φάραγγας.

V. Peters, *De C. Valerii Flacci uita et carmine*, p. 19. Qui in notula addit : « J. Wagnerus in commentario suo suspicatus est Valerium non recte intellexisse Apollonium.... et uocem εὐρυμενάς adiectiue positam pro nomine proprio accepisse. Merkelius primus in editione Apollonii restituerat Εὐρυμενάς ex testimonio Stephani Byzantii, qui eius nominis urbem in Thessalia nominauit. Et in Scylacis Caryandensis, qui uocatur, periplo, 65, in regione Magnetum appellatur urbs Eurymenae, quae in ora sita est...» Errat tamen Peters, cum dubitat num recte Merkelius scripserit Εὐρυμενάς pro εὐρυμενάς uerbo quod in codice legitur. Res, ut est a nonnullis testibus confirmata, plane perspicua uidetur.

4. Val. *Argon.*, I, 560, II, 34.

5. « Biduo », ut scripsit Peters (*l. cit.*, p. 19), qui etsi non plane errat, in aliquem tamen errorem incidit ; nam Argonautae duobus diebus iter confecerunt, sed duobus interiectis diebus in Magnesia ora commorati sunt donec procella placaretur. Apoll. *Argon.*, I, 586 sqq.

6. Val. *Argon.*, II, 9.

Jam Sciathos subsedit aquis, iam longa recessit
Sepias.. ....

Cf. Apoll. *Argon.*, I, 582.

..... ἔδυνε δὲ Σηπιὰς ἄκρη,
φαίνετο δ' εἰναλίη Σκίαθος, φαίνοντο δ' ὄπωθεν.....

et uiuidam rerum imaginem oculis praestent ; sic equos exprimit in Magnesiis saltibus pastos curuatasque Amyri ripas et Pallenenses illas rupes, Gigantum caede celebratas, quae immanium corporum formas et gestus uidentur exhibere.

> ... Attollit tondentes pabula Magnes
> Campus equos ; uidisse putant Dolopeia busta
> Intrantemque Amyron curuas quaesita per oras
> Aequora, [1]...
> ... Metus ecce Deum damnataque bello
> Pallene, circumque uident immania monstra
> Terrigenum caelo quondam aduersata Gigantum.
> Quos scopulis trabibusque parens miserata iugisque
> Induit et uersos exstruxit in aethera montes [2].

Magna igitur illa dicendi ui et nitore non res quales sunt ad Apollonii exemplar expressit, sed quos ex eis inspectis motus humana quaeque mens percepisset significauit.

Non solum locorum descriptionem sed etiam omnino fabulas ad quamuis regionem uel gentem pertinentes leuiter curat. Frustra requiras in eius poemate dulcem illam narrationem qua Apollonius Etesiorum uentorum originem rettulit et pulchram Cyrenen pudore munitam, Apollinis amori resistentem, postremo cedentem suauiter expressit, et Aristaei, diuinae prolis, beneficia illustrauit, cum pastor ille pro Cycladum insularum accolis, quos Sirii ardor torreret, dulcem Etesiarum spiritum, Sirio ipso et Ioue placatis, excitaret [3]. De hac autem fabula nihil Valerius deduxit. Neque ingentem operam impendit describendis illis monumentis, quae ubique terrarum, in uariis regionibus praeterita tempora et antiquos mores uel heroum uirorumque gloriam, nobiles eidem et parum certi auctores, hominum memoriae tradunt. Nulla fit a Latino poeta mentio neque de ambabus illis columnis quas insulae Teni ciues olim Calai et Zetae perenni honori futuras erexerunt, et quarum una, mirabili monstro, Boreae patris flatu mouebatur [4] ; neque de ligneis Mossynorum turribus [5], neque de illo altari quod Argonautas in Thyniade insula

---

1. Val. *Argon.*, II, 9.
2. Id., II, 16.
3. Apoll. *Argon.*, II, 502-530.
4. Id., I, 1302 sqq.

> .....σχέτλιοι· ἦ τέ σφιν στυγερὴ τίσις ἔπλετ' ὀπίσσω
> χερσὶν ὑφ' Ἡρακλῆος, ὅ μιν δίζεσθαι ἔρυκον.
> ἄθλων γὰρ Πελίαο διδουπότος ἆψ ἀνιόντας
> Τήνῳ ἐν ἀμφιρύτῃ πέφνεν, καὶ ἀμήσατο γαῖαν
> ἀμφ' αὐτοῖς, στήλας τε δύω καθυπερθεν ἔτευξεν,
> ὧν ἑτέρη, θάμβος περιώσιον ἀνδράσι λεύσειν,
> κίνυται ἠχήεντος ὑπὸ πνοιῇ βορέαο.

5. Apoll. *Argon.*, II, 379 sqq.

Deae Concordiae dicauisse et adhuc suo tempore exsistere profitetur Apollonius[1]. Quid dicam de auibus illis Aretiadis insulae, quarum acutae pennae, sagittarum instar, e summo aere emissae, acerba uulnera infligunt[2]? Hanc autem fabulam, adeo a ueritate abhorrentem et puerilibus mentibus aptam Apollonius seruauerat suo antiquitatis et geographiae studio ductus. Quae omnia a Graeco poeta libenter tractantur, a nostro diligenter silentur.

---

1. Apoll. *Argon.*, II, 716 sqq.

718 ..... καί τ' εἰσίτι νῦν γε τέτυκται
κεῖσ' Ὁμονοίης ἱρὸν ἐΰῤῥονος, ὅ ῥ' ἐκάμοντο
αὐτοὶ κυδίστην τότε δαίμονα πορσαίνοντες.

2. Apoll. *Argon.*, II, 1032-1092.

III

De Barbarorum moribus depingendis.

In Barbarorum moribus effingendis uterque illam ingenii dissimilitudinem clarius exhibet. Dum Apollonius non sine lepore uera depingit, nonnumquam hoc studio deducitur ut quaedam attingat quibus non solum nihil operis pulchritudo augeatur, sed etiam aliquantulum delicatae mentes offendantur. Sic rudem illam consuetudinem memorat qua Tibarenus quisque, ubi uxor ei prolem peperit, accubat et ingemit ac sibi multa remedia fomentaque paranda curat[1]. Singularem etiam Mossynorum impudentiam et uagos concubitus significat[2]. In his sane locis nihil restat quod poeticam uim designet nisi numerus et uerborum lenitas. Sed quanta uarietas, quot imagines ad uerum expressae! Etsi fusior interdum uidetur in minimis rebus depingendis oratio, et poeta nimis ingenio indulget, non mediocri arte in paucos uersus haec omnia inclusit quae ueteres de extremarum gentium moribus tradebant. Valerius autem, quem multo minus haec sollicitant et iuuant, in hanc quidlibet adumbrandi curam dedignatus est incumbere. Quare multa diligens imitator ut nimis inficeta temperat uel suo studio accommodat, plura autem omittit. Vide quam decenter Ponticarum gentium indolem exprimat!

---

1. Apoll. *Argon.*, II, 1011-1017.
τοὺς δὲ μετ' αὐτίκ' ἔπειτα Γενηταίου Διὸς ἄκρην
νάμψαντες σώοντο παρὲξ Τιβαρηνίδα γαῖαν.
ἔνθ' ἐπεὶ ἄρ' κε τέκωνται ὑπ' ἀνδράσι τέκνα γυναῖκες,
αὐτοὶ μὲν στενάχουσιν ἐνὶ λεχέεσσι πεσόντες,
κρήατα δησάμενοι· ταὶ δ' εὖ κομέουσιν ἐδωδῇ
ἀνέρας, ἠδὲ λοετρὰ λεχοῖα τοῖσι πένονται.

2. Id., 1017-1027.
Ἱερὸν αὖτ' ἐπὶ τοῖσιν ὄρος καὶ γαῖαν ἄμειβον.
ἦ ἔνι Μοσσυνοῖκοι ἀν' οὔρεα ναιετάουσιν
μόσσυνας, καὶ δ' αὐτοὶ ἐπώνυμοι ἔνθεν ἔασιν.
ἀλλοίη δὲ δίκη καὶ θέσμια τοῖσι τέτυκται.
ὅσσα μὲν ἀμφαδίῃ ῥέζειν θέμις, ἢ ἐνὶ δήμῳ,
ἢ ἀγορῇ, τάδε πάντα δόμοις ἔνι μηχανόωνται.
ὅσσα δ' ἐνὶ μεγάροις πεπονήμεθα, κεῖνα θύραζε
ἀφραγέως μίσσηισιν ἐνὶ ῥέζουσιν ἀγυιαῖς.
οὐ δ' εὐνῆς αἰδὼς ἐπιδήμιος, ἀλλὰ συες ὣς
φορβάδες, οὐδ' ἠβαιὸν ἀτυζόμενοι παριόντας,
μίσγονται χαμάδις ξυνῇ φιλότητι γυναικῶν.

Inde Genetaei rupem Iouis, hinc Tibarenum
Dant uirides post terga lacus, ubi deside mitra
Feta ligat partuque uirum fouet ipsa soluto.
Vos quoque non notae mirati uela carinae
Mossyni, uos et stabulis Macrones ab altis
Byzeresque uagi Philyraeque a nomine dicta
Litora, quae cornu pepulit Saturnus equino[1].

Hic lucet ingens dicendi uis et grauis simul et concinna oratio. De ignaua Tibarenorum quiete pauca eloqui non dubitauit, quia eleganti et faceto stilo quae illepida futura erant commendabat et hic facile materiem forma superare poterat; sed mox hos uersus nouo lumine decorauit pulchra illa imago diuini equi exsultantis. At rudes et saeui Mossynorum mores sedulo obteruntur et paulum abest quin plane praetermittantur.

Dum autem Valerium demonstramus non libenter ad uerum hominum mores depinxisse, sed semper in scribendo splendidam quandam, nonnumquam etiam fucatam pulchritudinem affectauisse, forsitan nobis obiciatur omnis illa pars operis, qua, Apollonii uestigia deserere et nouas res attingere ausus, Scythas eisque finitimos populos induxit et e longae aetatis tenebris extraxit. Postquam enim Iason Colchorum fines ingressus est, audit ingens bellum inter Aeeten et Persen moueri; cum autem heros, sociis adstantibus, aureum uellus a rege ut patrium bonum comiter petit, hic fatetur quantae calamitates sibi gentique suae immineant, et quantum timorem e saeuissimi fratris odio ipse percipiat; deinde rogat num Argonautis placeat, si Colchis in hoc periculo opem ferant, aureum uellus ut tanti meriti munus accipere[2]. Tunc, uiribus suis et Fortuna fretus, laudis cupidus iuuenis auxilium regi spondet. Inde atrocia bella, in quae irrumpunt undique Barbari. Quod argumentum opportunum erat depingendis gentium moribus; neque enim in hoc Valerium ars sua fefellit; ueritati accedit dum ea potissimum eligit quae ingentia et splendida uideantur. Sed ibi quoque intellegere licet poetam magis ad hominum mores quam ad uarios regionum status attendere.

At certe multum debuit scriptoribus qui illos populos descripserant. Quae scientia eo tempore multum profecerat, iam iam latius patescente Romanorum imperio; et cum iam saepe Romani barbaras illas Scytharum et Sarmatarum gentes debellauissent atque regiones peragrauissent, illuc uertebantur ut rei publicae peritorum ita eruditorum uirorum studia. Scythae enim et Sarmatae, diu auditu modo cogniti, postea cum populo Romano siue societatem siue bellum inierant. Nempe Tiberius princeps ita in Thracia egerat ut non

1. Val. *Argon.*, V, 147-154. 2. Val. *Argon.*, V, 534-542.

solum sceleratam Cotyos caedem ulcisceretur sed etiam interfectoris ipsius regnum diuideret nominique Romano submitteret[1]; sub idem tempus, Vonones Parthorum, deinde Armeniorum rex, cum utroque solio depulsus, in Ciliciam relegatus esset, fugit et Albanorum atque Heniochorum, postremo Scytharum solitudines petiit, post se Romanum equitatum trahens[2]. Sed numquam maioribus motibus Barbarae illae gentes turbatae sunt quam cum Tiberius Artabano Parthorum regi Tiridaten opposuit, et in hostem tot nationes conciliauit[3], antiquis fabulis illustres, in primis Hiberos et Albanos qui ferebantur ex Iasonis sociis esse orti; tunc Sarmatarum greges undique effundebantur, utramque partem secuti, in caedibus laetitia exsultantes. Aliquot post annis, sub Nerone Albani deficere et rebellare coeperunt; in quos paratum bellum iurgiis ciuilibus remissum est[4]. In hos autem uel potius in Alanos cum Vologaesus Parthorum rex expeditionem parauit, a Vespasiano ipso ducem alterum ex eius liberis depoposcit[5]. Non igitur mirari debemus quod Valerius in his rebus libenter institerit et Strabo has orbis terrarum partes in undecimo libro lucidius descripserit et exactioribus finibus concluserit; neque tamen poeta quicquam ab eo uidetur esse mutuatus.

Ita recentiora illa facta antiquarum fabularum memoriam apud Romanos renouauerant, nam eisdem in locis ubi olim Scythiae et Ponti accolae cum praeclaris uetustissimae aetatis heroibus, Phrixo et Iasone et Cyro uersati esse dicebantur, nunc Romani bella mouebant et Barbarorum potestatem euertere conabantur, odium et inuidiam inter duces et populos artificiose serentes. Atque haud adeo longum post tempus, eidem illi Barbari, e suis latebris progressi, imperium Romanum subuertent.

Cum igitur Valerius carmen suum componeret, iam Romani regiones illas explorare et cum gentibus ipsis uersari coeperant. Quare, etsi geographia parum delectabatur, aequalium suorum studio et menti adsentiebatur. Ceterum, quod mox demonstrabimus, Iasonem cum tali hoste committendo, Graeci ducis gloriam extollebat. Quo factum est ut poeta hanc operis sui partem amplificaret atque ornaret.

Non eandem mente concepit Scythiae imaginem quam olim Herodotus; quod e gentium enumeratione quae Aeeten et Persen sequuntur, intellegi potest[6]. Ille enim regionem angustis finibus circumscripserat qui non longe ultra Lycum flumen et Agathyrsorum nationem latitudine Orientem et Occidentem uersus

1. Taciti *Annales*, II, 1-5, 65 sqq.
2. Taciti *Annales*, II, 58, 68.
3. Taciti *Annales*, VI, 32 sqq.
4. Taciti *Historiae*, I, 6. Suetonii *Nero*, 19.
5. C. Suetonii *Domitianus*, 2.
6. Val. *Argon.*, VI, 34-170.

excurrebant[1]. Mela autem et Plinius expresse significauerunt Scytharum gentem latius paulatim esse dispersam[2], siue nomen tantum illud ad finitima loca transierat, siue, quod probabilius est, naturali cognatione et uario proeliorum euentu hic populus conterminis nationibus se interposuerat. Nihil igitur mirum quod poeta noster confuse tot Scythicas uel Sarmaticas uel Asiaticas gentes in Aeetae uel Persae castra mittat. Veteris Scythiae et Sarmatiae et Colchidos et Iberiae fines parum perspicue discernit.

> Hinc age Rhipaeo quos uideris orbe furores,
> Musa mone; quanto Scythiam molimine Perses
> Concierit[3].....

Hic adsunt Alani et Heniochi, Caspii litoris accolae.

> Miserat ardentes, mox ipse secutus, Alanos
> Heniochosque truces iam pridem infensus Anausis[4].

Adsunt etiam Bisaltae, ad Strymonis ripas habitantes[5], Cimmerii in Maeoticis solitudinibus commorantes et Coelaletae uagi, quorum tentoria ad Haemum montem statui dicuntur.

> Tertius unanimis ueniens cum milibus Auchus
> Cimmerias ostentat opes...
> Quin et ab Hyrcanis Titanius expulit antris
> Cyris in arma uiros, plaustrisque ad proelia cunctas
> Coelaletae traxere manus[6]...

Prodeunt Coralli, apud quos Ouidius triste exilium produxit et Bastarnae Sidoniique inter Tyran et Borysthenem manentes.

> Hos super aeratam Phalces agit aequore nubem
> Cum fremitu, densique leuant uexilla Coralli,...
> Ast ubi Sidonicas inter pedes aequat habenas,
> Illinc iuratos in se trahit Aea Batarnas[7]...

---

1. V. Mair, *das Land der Skythen bei Herodot*, « programm-gymnasium », in duas partes diuisum opus. Saaz, 1884. Pars 2a, p. 34. Gesammtbild.

2. Plinii *Naturalis Historia*, IV, 81. Scytharum nomen usquequaque transit in Sarmatas atque Germanos. Nec aliis prisca illa durauit appellatio quam qui extremi gentium harum ignoti prope ceteris mortalibus degunt. — Mela, III, 5. Inde Asiae confinia, nisi ubi perpetuae niues sedent et intolerabilis rigor, Scythici populi incolunt. — Cf. Strabonis *Geographica*, XI, 7, 4. ἡ δὲ τῶν Ῥωμαίων ἐπικράτεια καὶ ἡ τῶν Παρθυαίων πλεῖόν τι προσεκκαλύπτει τῶν παραδεδομένων πρότερον.

3. Val. *Argon.*, VI, 33. Strabo de erroribus scriptorum qui primi has regiones depinxerunt pauca dixit. XI, 6, § 2 et 3.

4. Id., 42.

5. Id., 48 sqq.

6. Id., 60-65, 79-84.

7. Id., 89 sqq, 96 sqq. De Corallis Ouidius loquitur. *Epist. ex Ponto*, IV, 2, 37; IV, 8, 83.

Succedunt inuicem Drangaei, circa Indum flumen congregati, et Hyrcana agmina, et Arimaspi, ad septemtrionem uersus populus, postremo Exomatae, monti Emodi confines, Toryni, Satarchae, Tanaim colentes, Centores et Choatrae et Balloniti[1].

Haec longa nominum series Valerii haud spernendam eruditionem testari uidetur. Quapropter e quibus fontibus haec omnia deprompta essent nonnumquam quaesitum est; sed talis indagatio per se difficilis est et saepe criticum in hoc inducit ut temere longius progrediatur et latius concludat. Iam notari potuit pleraque nomina non solum apud Valerium, sed etiam apud Melam et Plinium esse memorata[2]. At non de hoc colligi potest totam hanc poematis partem ad illos scriptores referri debere. Fortasse enim Valerius eisdem fontibus uti potuit, e quibus illi iam multa deprompserant; ita forte, non consilio cum illis putes poetam congruisse. Nam, cum iam illarum regionum situs et uariae gentes melius cognosci coepissent, complures sane docti uiri de Sarmatis et Iazygibus et Bastarnis erant locuti; incertum igitur esse potest an e Plinio uel Mela tantummodo ac non potius ex auctoribus quorum opera exciderunt quaedam hauserit. Quicquid id est, nihil in Valerii carminibus deprehendas, quod ingens doctrinarum studium uere exhibeat. Erret qui contendere audeat « poetam summis studiis geographicis operam dedisse[3] » ; contra in hoc multum cedit Apollonio, neque his rebus tamquam per se speciosae et utiles sint, delectatur, sed ea potissimum eligit quae ad ornandam materiam componat et ad illam pulchritudinis speciem, quam in animo conceperit, referat. Plures quidem libros eum uoluisse demonstrabimus. Quin etiam poeta ille, qui cum principe et delectis uiris uidetur esse uersatus, aliquid communi famae et nauigatorum et mercatorum et militum testimoniis ac sermonibus debuit. Sed rem diligentius inspiciamus.

Non uidetur se ad Eratosthenem contulisse, cuius opus a recentioribus scriptoribus iam fuerat emendatum; at nihil certi de hoc adseuerari potest quia ex Eratosthenis libris restant paucissima. Plurimum autem Pomponio Mela et C. Plinio Secundo, quorum testimonia mire inter se congruunt, et Herodoto et Strabone ducibus usus est.

Ceterum sunt in eius poemate quae quilibet legatus uel centurio, nuper a longinquis illis regionibus et imperii Romani finibus reuersus ei tradere posset. Talis est tot diuersorum morum, et in primis armorum uel militarium signorum descriptio; sic, cum de Corallis

---

1. De his gentibus confer te ad uersus : 106, 114, 131, 145, 151, 161.
2. Joannes Peters, *De C. Valerii Flacci uita et carmine*, p. 70 sqq.
3. Peters, op. cit., p. 75, haec falso praedicat.

loquitur et singulares quasdam ferarum et curruum et columnarum imagines quae eorum uexillis praefiguntur, diligenter depingit :

> ...densique leuant uexilla Coralli,
> Barbaricae quis signa rotae ferrataque dorso
> Forma suum truncaeque Iouis simulacra columnae[1].

In duobus locis, Latinis historiarum scriptoribus uidetur aliquid debere. Octo enim uersibus qui sunt aliquantisper obscuri, Bastarnarum pedites memorat, qui inter equitum turmas dispersi horum celeritatem cursu aequant ; quod quidem, ut primus demonstrauit Schenkl, sine dubio poeta e Caesaris *Commentariis* petiuit, ubi Ariouistus eadem pugnandi ratione utitur, pari numero equites peditesque congregans ut inter se auxiliari et pariter proeliari possint.

> Ast ubi Sidonicas inter pedes aequat habenas,
> Illinc iuratos in se trahit Aea Batarnas[2]...

Alibi autem Liuium sequitur ; nempe scriptor ille iam Numidarum equitum in alterum equum facile transultantium celeritatem ante laudauerat quam Valerius eandem sollertiam de Moesis memorauit.

> ...celer mutator equorum
> Moesus[3]...

Haec sane, dum carmen scribebat, memoria retinuerat.

Quotienscumque ad fontem, ex quo uidetur hausisse, accedere possumus, clarior fit egregia illa ars qua illum deriuauit et ad suum usum accommodauit. Sic Mela narrauerat Hyperboraeos, cum senio confecti essent, uiuendi satietate se hilares, sertis redimitos, e rupe praecipites dare solere[4]. Ex quo Valerius pulchros de Iazygibus uersus uidetur deduxisse ; qui quidem se uere Stoicos praestant, nam non caeco impetu de saxo erumpunt, sed filii manu fortiter occum-

---

1. Val. *Argon.*, VI, 89 sqq.

2. V. Schenkl, op. laud., p. 24. Vir doctus acute demonstrat nihil in his uersibus emendandum esse. — Adiciemus T. Liuium (XLIV, 26) et Tacitum, *De Germania* (VI), eadem illa rettulisse. Cf. Ammianum, XVI, 12, 7. — Sed poeta ita uerba eligit ut Caesari diligenter accedere et hunc locum retractare uideatur. — *De Bello gallico*, I, 48. Equitum millia erant sex, totidem numero pedites uelocissimi ac fortissimi, quos ex omni copia singuli singulos suae salutis causa delegerant. Cum his in proeliis uersabantur, ad eos se equites recipiebant ; hi, si quid erat durius, concurrebant ; si qui, grauiore uulnere accepto, equo deciderat, circumsistebant ; si quo erat longius prodeundum aut celerius recipiendum, tanta erat horum exercitatione celeritas, ut *iubis equorum* subleuati cursum *adaequarent*.

3. Val. *Argon.*, VI, 161, 162. — T. Liui *ab urbe condita libri* L. XXIII, cap. 29. Nec omnes Numidae in dextro locati cornu, sed quibus desultorum in modum binos trahentibus equos inter acerrimam saepe pugnam in recentem equum ex fesso armatis trasultare mos erat. Tanta uelocitas ipsis tamque docile equorum genus est !

4. Pomponii Melae *De situ orbis*, III, 5.

bunt, uita tamquam malo liberati, neque tamen sine aliquo dolore facti felices.

> Magnanimis mos ductus auis, haud segnia mortis
> Iura pati, dextra sed carae occumbere prolis,
> Ense dato ; rumpuntque moras natusque parensque
> Ambo animis, ambo miseri tam fortibus actis[1].

Eadem ratione, cum Exomatas inducit concitis equis per Hypanim glacie duratum secum tigridis aut leaenae cuiusdam prolem rapientes, meminit sane Hyrcanam illam tigrim quae uelocissimum equitem ita consequitur ut raptorem cogat catulos relinquere[2].

> . . . Abeunt Hypanin fragilemque per undam
> Tigridis aut saeuae profugi cum prole leaenae,
> Maestaque suspectae mater stupet aggere ripae[3].

Neque absurdum est coicere laqueos quibus Auchatae inuolutos hostes ad se adducant de eodem libro esse sumptos ; Mela enim narrat in nationibus quae Bosporo et Tanaidi sint confines morem esse feminis, prope uiros bellantibus hostem quem hi interceperint laqueis trahendo conficere[4].

> Doctus et Auchates patulo uaga uincula gyro
> Spargere et extremas laqueis adducere turmas[5].

Quid ? quod Thyrsagetae, Bacchi olim socii, bellicum furorem mystico studio augent. Nonne Aethiopibus illis Pomponii Melae sunt similes, in quorum solitudinibus nocte « crepant cymbala et tympana audiunturque tibiae[6] ». Idem fortasse de Choatris et Centoribus dici potest, sagarum artis peritissimis, qui Gallarum antistitum, in

---

1. Val. *Argon.*, VI, 125 sqq.

2. Mela, III, 5. Saeuum ferarum genus et usque eo pernix ut illis longe quoque praegressum equitem consequi nec tantum semel, sed aliquotiens etiam cursu unde coeperit subinde repetito, solitum et facile sit. Causa ex eo est quod ubi ille interceptos earum catulos citus coepit auehere, et rabiem appropinquantium astu frustraturus, unum de pluribus omisit, hae proiectum excipiunt et ad cubilia sua referunt rursumque et saepius remeant, atque idem efficiunt donec ad frequentiora quam adire audeant profugus raptor euadat. — Haec eadem in comparatione quadam Valerius meminit. *Argon.*, I, 489.

3. Val. *Argon.*, VI, 147 sqq.

4. Mela, I, 19. Oram quae a Bosporo ad Tanaim usque deflectitur, Maeotici incolunt, Thatae, Sirachi, Phicores et ostio fluminis proximi Ixamatae. Apud eos easdem artes feminae quas uiri exercent, adeo ut ne militia quidem uacent. Viri pedibus merent, sagittisque depugnant : illae equestre proelium ineunt, nec ferro dimicant ; sed quos laqueis intercepere trahendo conficiunt.

5. Val. *Argon.*, VI, 132.

6. Mela, *De situ orbis*, III, 9. — Val. *Argon.*, VI, 134-137.

> Non ego sanguineis gestantem tympana bellis
> Thyrsageten cinctumque uagis post terga silebo
> Pellibus et nexas uiridantem floribus hastas.

Sena insula inter concitatos fluctus, auctore Pomponio, habitantium, imaginem quodam modo referunt[1]. Sed hic paulum abest quin ab omni coniectura desistamus ; nam si quid uere ex illo scriptore sumpsit, adeo res immutauit ut imitationis uestigia prope aboleret. Sed tamen, si uniuersam rem perspexeris, nos fateberis haud falso quasdam similitudines inter Valerium et Melam deprehendisse.

Strabo ipse poetae ea porrexisse uidetur quae de bellicis canibus narrat ; refert enim Celtas e Britannia insula canes accipere, quibus siue ad uenationem siue ad bellum utantur, et quodam aemulandi studio, uernaculos canes ad eadem ministeria instituere solere. Unde Valerius hos uersus sumere potuit, quibus eundem usum de Celtis ad Drangaeos transtulit.

> Insequitur Drangaea phalanx claustrisque profusi
> Caspiadae, quis turba canum non segnius acres
> Exsilit ad lituos pugnasque capessit eriles[2]...

Alia Herodoto tribuenda esse iudicamus. Nonne Colaxes, Iouis et Nymphae cuiusdam filius, nobis Herculis et Echidnae fabulam in memoriam reducit[3] ? Immo Colaxes ille Colaxais, unius e primis Scytharum regibus, nomen sibi induere uidetur. Quid ? quod plaustra illa, quibus uehuntur apud Valerium Coelaletae iam ut omnibus Scythis communia depinxerat Herodotus[4] ; ceterum Strabo eadem fere de Getis rettulerat[5]. Denique, cum poeta Sindos degeneres appellabat, illam narrationem memoria tenebat, qua Graecus scriptor inanem seruorum in Scythas rebellionem exposuit ; qui postquam ancipiti proelio cum dominis diu pugnauerant, in fugam demum se uerterunt ubi Scythæ, telis neglectis, flagellum, antiquae horum seruitutis instrumentum erexerunt[6]. Immo in maius

---

1. Mela, *De situ orbis*, III, 6.... (Antistites) Gallizenas uocant, putantque ingeniis singularibus praeditas ; maria ac uentos concitare carminibus, seque in quae uelint animalia uertere ; sanare quae apud alios insanabilia sunt ; scire uentura et praedicare.....
Val. *Argon.*, VI, 150 sqq.

> 153 .....nunc uere nouo compescere frondes,
> Nunc subitam trepidis Maeotin soluere plaustris.....

2. Val. *Argon.*, VI, 106. — Strabonis *Geogr.*, IV, 5, 2. Ταῦτα δὲ κομίζεται ἐξ αὐτῆς (τῆς Βριτανικῆς) καὶ δέρματα καὶ ἀνδράποδα καὶ κύνες εὐφυεῖς πρὸς τὰς κυνηγεσίας. Κελτοὶ δὲ καὶ πρὸς τοὺς πολέμους χρῶνται καὶ τούτοις καὶ τοῖς ἐπιχωρίοις. — Haec de Albanis addit, XI, 4, 5.... θηρευτικοὶ δὲ καὶ αὐτοὶ καὶ οἱ κύνες αὐτῶν εἰς ὑπερβολήν, οὐ τέχνῃ μᾶλλον ἢ σπουδῇ τῇ περὶ τοῦτο. Hoc ante nos indicauit Peters, op. laud., p. 74.

3. Val. *Argon.*, VI, 48-53. — Herodoti *Historiae*, L. IV, VIII sqq.

4. Id., VI, 80.

> .....plaustrisque ad proelia cunctas
> Coelaletae traxere manus ; ibi sutilis illis
> Et domus et crudo residens sub uellere coniunx
> Et puer e primo torquens temone cateias.....

Herodoti *Hist.*, IV, 46. — Strabonis *Geogr.*, VII, 3, 17.

5. Strabonis *Geogr.*, VII, 3, 2.

6. Haec similitudo primum a docto uiro Peters perspecta est. Confer te, quaeso, ad opusculum, p. 74. — Herodoti *Hist.*, IV, 3-5.

tulisse nobis uidetur Herodoti illa de Scythis equarum lacte uescentibus uerba, cum finxit Choaspem equi sui cruorem saepius haurientem[1].

Bellatoris equi potantem cerne cruores.

Neque tamen tunc Valerio e mente exciderant Horatii quidam uersus qui iam ante ad Hispanam Concanorum gentem spectans depinxerat.

...laetum equino sanguine Concanum[2].

Sic Valerius, rebus ipsis adductus ut Scytharum regiones et mores depingeret, plures doctos auctores secutus est, sed quae sumebat, ingenio suo indulgens, libere explicauit et ad nouam formam redegit ; res uero ipsas tamquam mollem et tractabilem materiam subegit. Arti enim magis quam naturae innixus, quae sibi splendidiora uiderentur potissimum eligebat. Dum Barbarorum usum et uitae consuetudinem exprimit, non omne uiuendi genus recipit, sed ea tantummodo notat, quae personis et rebus aliquid ornamenti uel ponderis addant. Nec tamen nimium a ueritate discedit. Namque apud Barbaros tum luxum et acrem illam pretiosae cuiusque rei cupiditatem et armorum studium, tum saeuos mores rudemque uirtutem et toruum uultum ad exemplar Horatii effingit. Semel etiam ausus est Thracum corpus, notis compunctum, hoc uersu designare :

Picta manus ustoque placet sed barbara mento[3].

Chlamys qua indutus est Aron pictis signis horret, eiusdemque caesaries crocum olet.

...horrida signis
Cui chlamys et multa spirat coma flexilis aura[4].

Auro gemmisque splendent omnes Aeetae conuiuae, ad regiam et hospitalem mensam laeti sedentes. Sed illi duces, magnifico isti luxui parem animi magnitudinem in proeliis exhibent, nedum mollitia corrumpantur. Sic Mycelis ad bellum incedentibus nitidi sunt et compti capilli. Tum bellatores adsunt, armati, truci uultu. Ille hirsuta coma barbaque demissa surgit, hic horrida tigridis pelle inuoluitur, galerum bracasque gerens.

Tenuia non illum candentis carbasa lini,
Non auro depicta chlamys, non flaua galeri
Caesaries pictoque iuuant subtegmine bracae[5].

---

1. Val. *Argon.*, V, 585. — Herodoti *Hist.*, IV, 2.
2. Horatii *Carmina*, III, iv, 34.
3. Val. *Argon.*, II, 150.
4. Id., V, 588 sqq.
5. Id., VI, 225.

Hic autem pharetra resonante et stricto arcu minatur. Myraces, serica ueste indutus, tiara capite cincto,

> Ipse, pharetratis residens ad frena tapetis
> Nunc leuis infesto procurrit in agmina curru,
> Nunc fuga conuersas spargit mentita sagittas[1].

Scuta etiam uariis imaginibus radiant[2], et ferarum formas prodentia uexilla Barbaros ad caedem uocant[3]; militum acinaces splendent[4]; multos uiros uel equos mollis lorica tegit; in primis cataphracti Sarmatae, contum ualida manu uersantes incurrunt[5]. At cum illis Barbaris tam bene ornatis Coelaletae miscentur, e summis plaustris pugnantes[6] uel Bastarnae, quorum scuta e rudi cortice facta[7] sunt, quasi poeta hic artificiose ultimae barbariae imaginem nobis uelit proponere. Undique inter se concurrunt, niualium regionum bellatores, tum candidis equis insidentes, tum falcatos currus ducentes[8].

Rudes Barbarorum mores, etiamsi pacem gerunt, egregie depinxit poeta; qui quidem gradu et gestu et sermone animi ferocitatem et effrenatam audaciam exhibent. Mirum est quantum in describendo Aeetae conuiuio luxuriam rusticis moribus temperauerit. Egregia, quamquam paulo subtilior haec uiri cenantis species[9].

> Campesus hic spoliis in tigridis: ille profundo
> Incumbens Odrussa mero; uide lata comantem
> Pectora et ingenti turbantem pocula barba.

Sed ciues suos, dum laudat, Gesander omni uituperatione liberat; qui dum animum illorum liberum et inuictum et glacie duratam, ut ita dicam, uirtutem illustrat, simul docere uidetur quibus rebus Barbarae gentes excultas ciuitates superent.

> Nec nos aut leuibus componere bracchia remis
> Nouimus aut uentos opus exspectare ferentes;
> Imus equis, qua uel medio riget aequore pontus,
> Vel tumida fremit Hister aqua; nec moenia nobis
> Vestra placent; feror Arctois nunc liber in aruis,
> Cuncta tenens mecum; omnis amor iacturaque plaustri
> Sola, nec hac longum uictor potiere rapina[10].

Haec omnia, quamquam non plane ad uerum expressa sunt, tamen

---

1. Val. *Argon.*, VI, 696.
2. Id., VI, 54.
3. Id., VI, 89.
4. Id., VI, 701.
5. Id., VI, 231 sqq.
6. Id., VI, 81.
7. Id., VI, 96 sqq.
8. Id., VI, 203-386.
9. Id., V, 594.
10. Id., VI, 326.

e certis fontibus quos nobis parum perspicere licet, hauriuntur et ui atque colore redundant.

At contra ad effingendos Colchorum mores minus diligentiae attulit; ceterum Apollonius ipse, qui populorum aliorum locorumque mores et situs sedulo obseruauisse nobis uidetur, de Colchis parcius disseruit; unam fere de multis illius gentis consuetudinem hanc retinuerat, qua mortuos uiros in consuta taurina coria includebant, inde summis ex arborum ramis suspendebant, sacrae terrae feminas tantummodo mandantes. Quod rettulerant, teste scholiasta, plurimi scriptores, nec solum Apollonius, sed etiam Nymphodorus[1]. Cum igitur Iason, naui in paludem impulsa, pluribus sociis comitantibus, Aeetae regiam petit, iuxta litus uirorum cadauera ex ramis pendentia adspicit[2]; hoc sane Graecus poeta diligenter depingit; quod plus ueritatis quam iucunditatis habet. Plerumque autem Homeri uestigia insistit et simplices dulcesque priscae illius aetatis mores effingit, neque usquam fere aliquid noui adfert; omnia enim non de rerum natura, ut solet, sed de communi poetarum fonte sumere uidetur; res tamen ita temperat ut a uero non nimium discedant nec doctiorem eruditionem designent. Quid? quod Aeetae regiae monstra naturali quodam colore inducit. Nam illic, cum ei in memoriam subiret Alcinoi domus imago, tam diligenter materiam retractabat ut illud aedificium, diuinis monstris plenum et mirabili arte exstructum Phaeacii regiam prope superaret[3]. Fontes illi, melle et uino et odoriferis oleis scatentes et aenei tauri ignem spirantes animatis canibus quos apud Homerum reperimus aliquantum antecellunt. Hic Apollonius artem egregiam et uere nouam sed fortasse nimis exquisitam adhibet. At in effingendis Barbarorum et in primis Colchorum moribus, Homero etiam duce utitur. Ex quo fit ut Colchorum usus et instituta illam ingenuitatem et antiquitatem redoleant. Qualis olim candida Nausicaa, in cubiculo, uigilantibus ad fores duabus ancillis, leni somno requiescebat, talis Medea, cum mane expergiscitur et formosum corpus ornare coepit, duodecim illas uirgines appellat quae in uestibulo adsunt,

..... αἳ οἱ δυοκαίδεκα πᾶσαι
ἐν προδόμῳ θαλάμοιο θυώδεος ἡὐλίζοντο
ἥλικες, οὔπω λέκτρα σὺν ἀνδράσι πορσύνουσαι[4].

Insignior etiam fit similitudo, cum in rapidum currum adscendit, purpureum flagellum manu tenens, aequalibus puellis comitata, Aeetae filia; quae quidem nequaquam mente modestos et puros Nausicaae refert sensus, sed sagarum perfidissima uidetur, terendi

1. *Schol.* Apoll. *Argon.*, III, 202.
2. Apoll. *Argon.*, III, 200 sqq.
3. Apoll. *Argon.*, III, 215 sqq.
4. Apoll. *Argon.*, III, 837 sqq.

et miscendi uenena callida; quin paulo ante eadem illa in pallii sinum mortiferum florem auide condebat. Plura igitur Apollonius ab Homero petit, sed ita artificiose ut leporem illum dicas non aliunde esse partim adscitum. Qua mente Barbaros mores effinxit.

Non eadem fuit Valerii ratio, qui in hoc minorem diligentiam attulit. Nihil in eius opere de Colchorum sepulturis, nihil de hominum uita. Hoc autem templum, Soli dedicatum, quod descripsit, nullam barbaram speciem praefert; ad hoc enim spectauit ut pictae et caelatae quaedam imagines ignaro admirantique Iasoni futuram ducis fortunam ostenderent[1]; atque in hoc felix exstabat Vergilii aemulus, qui Aenean in Iunonis aedes inductum fingit, ubi Troianae gentis tum nondum peruulgatas calamitates caelo uel penicillo expressas uehementer commotus agnoscit[2]. Frustra igitur ueram morum imitationem apud Valerium requiras; longe aliud est eius consilium. Semel tantum Barbarorum uitam et mentem depingere uoluit, quia haec uidebantur ei copiosam materiam praebere et splendidae uersuum uerborumque structurae conuenire. Neque uero in his rebus operae pretium esse iudicauit Apollonium aemulari.

1. Val. *Argon.*, V, 417 sqq. 2. Vergilii *Aeneis*, I, 453 sqq.

IV

§ 1. De caerimoniarum et sacrorum descriptione.

§ 2. De antiquitatis scientia.

§ 1. — Plane eadem est Latini poetae ratio cum religiosos ritus et sacras caerimonias attingit, maxime a Graeco diuersus, qui rerum diuinarum descriptione uehementer delectatur. Quot apud illum sacra, quotiens exstruuntur et fumant arae ! At, quod est notabilius, cuncta presse et enucleate discernit, nedum haec parum cautus ad ornandam materiam sumat et poetico colore imbuat ; atque adeo singulis Deis singulos ritus tribuendos curat. Quanta diligentia omnia loca enumerat in quibus praecipuis honoribus Poseidon colitur[1] ! Cum Argonautae Dindymenae matri sacrificant, poeta neque querceas coronas[2], neque strepitantia aera omisit. Quin ingeniosus ille antiquitatis indagator omnem illum fremitum in his sacris usitatum ex eo prouenisse demonstrauit quod post Cyzici caedem Iason sacrificans, ne infausto omine arae turbarentur, Dolionum clamores et gemitus hoc modo intercepisset. Longe autem alia species uidetur esse sacris, quae proficiscentes Argonautae Apollini faciunt ; haec clare apparet non solum e supplicationibus sed etiam e uiscerum obseruatione constitisse[3]. Denique cum huic eidem Deo in Thyniade insula aram ponunt, non sine consilio significauit poeta feras capellas ab heroibus esse mactatas, sane quia ferebat fabula Argonautas quibus deessent domesticae uictimae, a communi more paululum discedere debuisse ; ibi etiam sacris ipsis additur, ut decet, *paean* quem canit Orpheus, Dei laudes celebrans[4].

Neque cum de Hecatae sacris fusius disseruit, septem illas lauationes uel nigram uestem, uel fossam, uel rogum ac libamina omisit[5]. Minimas quoque res in transcursu notans, hostiarum illas linguas in ardentem aram, Hermae placandi causa, sub noctem iactas, ut Graeci solebant cum cubitum ibant, quadam mentis delectatione memorat[6]. Nonne curauit ut Idmoni et Mopso uatibus peculiares cuique partes tribueret et hic de auium tantummodo

1. Apoll. *Argon*, III, 1239.
2. Id., I, 1123 sqq. *Schol.*, 1124 : δρυΐνοισιν.
3. Id., I, 425 sqq.
4. Id., II, 650-722.
5. Id., III, 1193 sqq.
6. Id., I, 517 et *Schol.*

cantu, ille de ignis inspectione futura praediceret[1] ? Eandem sane diligentiam in pluribus aliis locis deprehendas, sed illos enumerare parum commodum sit, quod multi ex eis in hac carminis parte reperiuntur quam Valerio non effingere licuit. Sic Graecus poeta sacra Apollini in insula Anaphe facta eleganter descripsit, singulares quasdam caerimonias interpretatus, quarum originem in Argonautarum iter conferebat ; at illa primus inter scriptores uidetur narrauisse[2].

Nihil tale apud Valerium agnoscas ; religionis enim parum curiosus, ea profert quae potius legentes moueant quam doceant et affectuum grauitatem et splendorem requirit. Quare, ut sacrificia breuiter describere solet, ita Mopsi in Haemonio litore uaticinantis et futura fata aperientis orationi insistit[3], ac lustrationes quibus Iason Cyzici manes expiat, praeclare depingit[4] ; sed hic praesertim multo minorem ipsi religioni quam sententiarum splendidae dignitati operam impendit ; quid libentius expressit quam flammarum fulgorem in uasto mari collucentium ?

> Inde ter armatos Minyis referentibus orbes
> Concussi tremuere rogi, ter inhorruit aether
> Luctificum clangente tuba ; iecere supremo
> Tum clamore faces ; rerum labor omnis in auras
> Soluitur et celsis collucent aequora flammis.
> Scilicet haec illo iuuenem populosque manebant
> Tempore, Peliacis caderet cum montibus arbor ;
> Hoc uolucrumque minae praesagaque fulmina longo
> Acta mari tulerant. Sed quis non prima refellat
> Monstra Deum longosque sibi non auguret annos[5] ?

Sic quoque, cum Argonautae mortuos Idmonem et Tiphyn supremis officiis prosequuntur, non ad depingenda sacra sed ad funebrem laudationem apte componendam uidetur mentem suam derexisse.

> . . . . . Quid tantum infensa repente
> Numina ? quas nostri poenas meruere labores ?
> Bina (nefas) tuto pariter mihi funera surgunt
> Litore. Magna adeo comitum numerosaque pubes ?
> Aut socios rapit atra dies, aut ipse relinquo
> Sontibus impulsus Furiis. Ubi Tiphys ? ubi Idmon
> Fata canens ? ubi monstriferae par ille nouercae[6] ?

His luculentis uerbis queritur Iason. Eodem colore herois illius et Medeae nuptiae inducuntur[7] ; sed ut multa ibi omisit ad Deorum

1. *De Idmone*, u. I, 435-448, II, 817 sqq. — *De Mopso*, I, 1087 sqq., III, 925.

2. Id., IV, 1717. Cf. De la Ville de Mirmont, Traduction française des *Argonautiques d'Apollonios de Rhodes* ; interpretis illius notam, quaeso, perlegas. IV, 1711.

3. Val. *Argon.*, I, 211 sqq.

4. Id. III, 332-417.

5. Id., III, 347 sqq.

6. Id., V, 37 sqq.

7. Id., VIII, 217 sqq.

cultum spectantia ita omni studio in exprimendam puellae pulchritudinem incubuit a Venere ipsa ista dona accipientis quae paulo post Creusam sunt perditura. Semper enim felix fuit in describendis sagae maleficiis ; in quo mox illum demonstrabimus multa exemplari graeco addidisse. Sed in talibus rebus, etiamsi Apollonium sequitur, plus sublimitatis et coloris, minus autem ueritatis exhibet, seu Callichoron Bacchi cultu celebratum canit, seu Stheneli animam suscitat ex inferis ut e summo tumulo ciues suos auide conspiciat, inde breui caeca caligine absumatur[1] ; illic dulcis et subtilis exstat Apollonius, acer et ui et horrore plenus Valerius.

§ 2. — Una autem est res, quam plane Valerius neglexit, scilicet illa antiquarum fabularum scientia ; nullus apud Graecum exsistit, siue Deus, siue heros, cuius ortum et genus et praeclare facta non penitus cognouerit, nulla ciuitas uel insula cuius clara uel infelicia fata eum fugerint. Quare in plerisque uersibus haec omnia nescio qua ostentatione attingit et carmen doctrina parum ad argumentum accommodata onerat. Sane Homerus tam diligenter Deorum heroumque originem explicauerat ut eius poematis nemo non « stemmatum », immo historiarum fidem tribueret. Sed Apollonius in hoc maius studium adfert. Videtur enim, si quem Deum uel uirum, uel locum in scenam, ut ita dicam, inducit ac depingit, multa e diuersis auctoribus deprompta memoria tenere ; nullum fere nomen dicit quin ei in mentem aliqua fabula succurrat ; quam tum illustrat, tum leuiter praestringit. Perennem esse putes fontem illum doctrinae. Primus fere omnium Titanas, Ophionea et Eurynomen, et Phoebum apud Hyperboraeos exulem memorat. Plura noua de mundi et Deorum origine, de Urano et eius filio Crono, de Tellure quae horrenda illa monstra peperit, ab Hercule ad urbem Cyzicum mactata, refert ; nec quisquam praeter illum Croni et Philyrae amores narrauisse nobis uidetur. Denique ad fabulas quas Homerus de Lam-

---

1. Apoll., II, 906 ; Valer., V, 75. — Apoll., II, 913. Valer, V, 89. Opponere inter se hos uersus licet :

A., II, 907. ..... ἔνθ' ἐνέπουσι Διὸς Νυσήϊον υἷα,
'Ινδῶν ἠνίκα φῦλα λιπὼν κατενάσσατο Θήβας,
ὀργιάσαι, στῆσαί τε χοροὺς ἄντροιο πάροιθεν,
ᾧ ἐν ἀμειδήτους ἀγίας εὐνάζετο νύκτας.....

V., V, 75. ...His Bacchus in undis
Abluit Eoo rorantes sanguine thyrsos....

A., II, 920... [Sthenelus] τύμβου δὲ στεφάνης ἐπιβὰς σκοπιάζετο νῆα
τοῖος ἐών, οἷος πολεμον δ' ἴεν · ἀμφὶ δὲ καλὴ
τετράφαλος φοίνικι λόφῳ ἐπελάμπετο πήληξ.
καὶ ῥ' ὁ μὲν αὖτις ἔδυνε μέγαν ζόφον.....

V., V, 91 Talis ab aequorei consurgens aggere busti
Emicuit ; fulsere undae, sol magnus ut orbem
Tolleret aut nubem quateret polus. Atque ea uixdum
Visa uiris atra nox protinus abstulit umbra.
Ille dolens altum repetit chaos.....

petia et Phaethusa, Solis filiis narrauerat, multa addidit. Deorum facta diligenter ordinauit; neque eum fugit ulla urbs, ullum delubrum ubi aliquis Deus uel Dea colebatur. Immo, nonne semel ad sacros illos libros spectauit, quos nuper septuaginta doctissimi uiri in graecum sermonem uerterant, cum Irin effinxit e summo caelo demissam et Phineo nuntiantem numquam Harpyias eum iam esse turbaturas[1]?

Doctissimus quidem uidetur in explanandis antiquis fabulis. Sic, ut exemplo utar, uarias fabulas quae de insula Scheria tradebantur inter se conciliauit. Nomen enim Scheriae simul Euboeae et Corcyrae inditum erat; haec autem insula non solum Macridis illius Nymphae nomen insuper ceperat quae olim Dionysum in Euboea aluisse ferebatur, sed etiam Drepane a quibusdam scriptoribus nominabatur; in qua narrabant Uranum Croni falce (δρεπάνῃ) crudeliter esse mutilatum. Apollonius igitur Scheriae nomen inter alia eligit, sed postquam illam de Urano fabulam breuiter significauit, libentius uidetur credere illam falcem Macridi Nymphae a Cerere esse datam ut segetem demeteret; ita omnia inter se congruunt, nempe Macris de Euboea in Corcyram insulam transuecta secum suum ipsius nomen attulit, inde breui, a Cerere donum accipiens, nouam appellationem insulae reliquit[2]. Cum igitur ad haec omnia respicit poeta, nonnumquam fit obscurior, neque nobis superuacuum putamus scholiastae auxilium. Hoc uersu significat Samothracen insulam:

ἐσπέριοι δ''Ορφῆος ἐφημοσύνῃσιν ἔκελσαν
νῆσον ἐς Ἠλέκτρης Ἀτλαντίδος[3].....

quasi neminem fugere possit Electram, Atlantis filiam in insula illa habitasse. Saepe fabula ipsa dulcem ei narrationem ministrat ut arte doctrina compensetur; poetarum enim iucundissimus exstat, siue Latonam frigidis Parthenii amniculi undis lassa membra leuantem[4], siue callidam Sinopen amantis Iouis fallentem spes et, Deo fide obligato, integra castitate manentem depingit[5], siue, extra rem paululum progressus, Etesiorum uentorum originem exponit[6],

---

1. Quod coiecit, audacius fortasse, De la Ville de Mirmont, *la Mythologie et les Dieux dans les Argon. et l'Énéide*, p. 180. De diuinarum rerum doctrina in illo poemate, confer te ad hos locos potissimum: I, 496-511 (Ophioneus et Eurynome); — II, 676-696 (Phoebus Hyperboraeos inuisens); — II, 1234 (Uranus); — II, 936 sqq; 989 sqq. (Telluris progenies); — II, 1235 sqq. (Cronus et Philyra); — IV, 964 (Lampetia et Phaethusa).
De illis quaestionibus u. De la Ville de Mirmont, op. laud.

2. Apoll. *Argon.*, IV, 980. Cf. 540. *Schol.*, 984.

3. Apoll. *Argon.*, I, 915.

4. Id., II, 938.

5. Id., II, 948.

6. Id., II, 502 sqq.

siue omnium scriptorum primus, Herculis et Melites fabulam breui elegantia narrat[1].

Quantam eruditionis speciem in illa operis parte ostendit, ubi Argonautas ad unum percenset! Hic admirari licet quam facile artis sententiarum finibus plurimas res de unoquoque uiro incluserit; non enim solum ciuitas, e qua ortus est heros, sed etiam eiusdem pater et proaui nominantur; immo saepe aliquid de herois uita gestisque additur, ut recte dubitare possis utrum illic orationis breuitas an rerum copia praeualeat.

> Καὶ μὴν Ἀμφιδάμας Κηφεύς τ' ἴσαν Ἀρκαδίηθεν,
> οἳ Τεγέην καὶ κλῆρον Ἀφειδάντειον ἔναιον,
> υἷε δύω Ἀλεοῦ· τρίτατός γε μὲν ἔσπετ' ἰοῦσιν
> Ἀγκαῖος, τὸν μὲν ῥα πατὴρ Λυκόοργος ἔπεμπεν,
> τῶν ἄμφω γνωτός προγενέστερος· ἀλλ' ὃ μὲν ἤδη
> γηράσκοντ' Ἀλεὸν λίπετ' ἀμ' πόλιν ὄφρα κομίζοι,
> παῖδα δ' ἑὸν σφετέροισι κασιγνήτοισιν ὄπασσεν[2].

Attamen, cum tot et tanta simul notare conatur, saepissime, necessitate inductus, adeo in dicendo pressus est ut paulum absit quin illic fere exilis fiat. Sic nonnumquam eodem uersu plura significat, nimis confisus lectoris doctrina; ita, ut exemplo utar, uersus illos de Ergino et Ancaeo ad Iolcon descendentibus quasi aenigmatis ambagibus implicitos male intellegamus, nisi nos scholiastes doceat « Mileti urbem » pro Mileto esse « Partheniaeque » nomen Samum designare[3].

Quicumque Valerii carmen manu uersat, tali metu uacare potest. Nam libere illud litterarum flumen auertit et ex tot tantisque doctrinis pauca decerpsit. Vidimus iam eum aliquid de terrarum descriptione quam tot scriptores illustrauerant, deprompsisse; quare cum Scythicarum gentium mores singulari arte depingit, nullius neglegentiae argui potest; multa quidem legerat, multa quoque memoria conseruauerat. Sed si carmen penitus introspexeris, Valerium senties in hoc ipso multo minus ad rem quam ad artem attendisse, et omnes fabulas quas intra opus intextas effudisset diligenter ornauisse. Non igitur dedignatus est in operis sui exordio uiros illos percensere qui tot labores simul erant perpessuri et tantam gloriam adepturi. Sed ante omnia res melius ordinare et distinguere uoluit. Ita, in Argonautarum « Catalogo » quem Apollonii instar composuit, meliore ordine usus, in duas partes heroas diuisit prout in transtris dextra laeuaque manu post Herculem et Telamonem sedebant[4]; neque, ut Graecus poeta, hanc recensionem ad nominum et

1. Apoll. *Argon.*, IV, 540.
2. Id., I, 161-168.
3. Id., I, 185.
4. P. Burmanni praefatio secunda, in editione N. E. Lemaire, t. I, p. 174.

factorum seriem reduxit, sed nihil fere est in ea quod non colorare et uariare conetur. Sic Polyphemum praenuntiat eo die in patriam rediturum quo patris eius exsequiae absoluantur. Ceterum uidetur de fonte nouo hausisse.

> Et tibi Palladia pinu, Polypheme, reuecto
> Ante urbem ardentis restat deprendere patris
> Reliquias, multum famulis pia iusta moratis,
> Si uenias[1]...

Quam pulchre describitur Atticus ager, ex quo ortus est Butes, diues aruorum et pecorum et apium cultor !

> Proximus hinc Butes Actaeis diues ab oris ;
> Innumeras nam claudit apes longaque superbus
> Fuscat nube diem, dum plenas nectare cellas
> Pandit et in dulcem reges dimittit Hymetton[2].

Nihil Apollonius de splendido illo Phaleri clipeo tradiderat, in quo poeta noster herois ipsius « casum » inscriptum esse finxit.

> Insequeris, casusque tuos expressa, Phalere,
> Arma geris ; patula nam lapsus ab arbore paruum
> Ter quater ardenti tergo circumuenit anguis :
> Stat procul intendens dubium pater anxius arcum[3].

Ea sunt quae mentes moueant et delectent. Adeo Valerius amplo et splendido ingenio et felici in imitando libertate uidetur esse laudandus[4],

At non, ut seruus imitator, Apollonii uestigia secutus est, quoniam fabulas quasdam ex aliis fontibus hausit ; neque solum ad Pomponium Melam in depingendis Barbarorum moribus se contulit ; sed etiam Diodorus Siculus haud spernendum ei praebuit auxilium. Nam cum Hesionen ab Hercule liberatam narrabat, sane illius historici opus ante oculos habebat, ubi eadem referuntur[5]. Sed multa

---

1. Val. *Argon.*, I, 457 sqq.

2. Id., I, 394.

3. Id., I, 398.

4. Quatenus in Argonautarum recensione ab Apollonio dissideat breuiter notandum est. — Acastum refert addidisse se Argonautis, cum iam nauem soluerent, siue ignotum auctorem sequitur, siue haec ex ingenio deprompsit. — Solus Actoriden nominauit, I, 407, (qui idem fortasse est ac Menoetius, Apoll., I, 69) contra Areii non meminit (Apoll., I, 118). Eodem modo Asterium (Apoll., I, 176) et Augean omisit (Apoll., I, 172). — Clymenus a solo Valerio celebratur. I, 369, Clytius autem et Coronus ab Apollonio, I, 86, 57. — Deucalionem memorat Valerius, I, 366, Eurydaman omittit. — De Euryto loquitur Valerius, I, 439, de Eryto Apollonius, I, 52. — Nulla mentio de Iphy et Tydeo apud Apollonium (V. Fl., I, 441, 387), de Laocoonte apud Valerium (Apoll., I, 192). — « Nestor soli Valerio debet quod inter Argonautas habeatur » (Burmann). — Palaemonem Valerius praetermittit ; at solus cum Hygino Philoctetem inter Argonautas recenset, I, 391.

5. Diodori Siculi *Bibl. hist.*, IV, xlii. Cf. Valerii Flacci *Argon.*, II, 451 sqq.

Valerius mutauit et inuertit; nam eodem tempore in Argonauticis, Hercules monstrum occidit et seruatam Hesionen ad patrem reducit; Diodorus sane refert Alciden primum uirgini esse auxiliatum, deinde Laomedonti promisisse se monstrum illud mactaturum; haec sane Valerio parum apta uidebantur ad illustrandam acrem herois uirtutem et mouendos legentium animos; noluit enim minimam etiam moram egregio Herculis facinori adferri neque ipsi uiro adquiescendi et cogitandi ullum spatium relinqui. Fortasse ab eodem illo auctore aliqua mutuatus est, cum Medeae personam effinxit; nam ille rerum scriptor libenter uirginis magicam artem et carmina depinxit[1]. Immo nonne Diodorus, plura de Circe Sarmatae cuidam in matrimonium collocata referens, poetam adduxit ut Medeam ipsam fingeret a patre Styro principi desponsam[2]? Templum autem illud Phoebi, quod splendide descripsit poeta, uidetur illud Ἡλίου... τέμενος[3], ab historico memoratum, reddere. Hic denique primam Aesonis et Alcimedes pereuntium adumbrationem tradidit, quam poeta noster perfecit; sed Diodorus Iasonis patrem inducebat a tyranno tauri sanguinem haurire coactum[4], Valerius contra senem significauit in uoluntariam necem confugientem et paris mortis participes Aesonem et Alcimeden fecit; apud Diodorum autem Alcimede pectus sibi gladio transfigebat. Non igitur Valerius ita eruditorum scriptorum testimonia despexit, sed nihil antiquius habuit quam ut quaecumque sibi adsumeret, ingenio suo accommodaret atque singulari arte refingeret. Hanc uero artem propius inspiciamus.

---

1. Diodori Siculi *Bibl. hist.*, IV, xlvi.

2. Id., IV, xlv, 3.

3. Id., IV, xlvi, 2.

4. Id., IV, l. ....[φασὶ...τὸν Πελίαν] τὸν μὲν... πατέρα τοῦ Ἰάσονος ἀναγκάσαι πιεῖν αἷμα ταύρου, τὸν δὲ ἀδελφὸν Πρόμαχον, παῖδα τὴν ἡλικίαν ὄντα, φονεῦσαι· Ἀμφινόμην δὲ τὴν μητέρα... καταφυγοῦσαν'... ἐπὶ τὴν ἑστίαν τοῦ βασιλέως καὶ καταφασαμένην παθεῖν αὐτὸν ἄξια τῶν ἀσεβημάτων, ξίφει παταξάσαν ἑαυτῆς τὸ στῆθος ἡρωϊκῶς καταστρέψαι τὸν βίον.

V

Quam parum Valerius in exprimendis rebus ad ueritatem ipsam se accommodet.

Nihil iucundius excogitari potest quam illa Apollonii subtilitas, res quales oculis praebentur, omni artificio sublato, depingentis; neque etiam inania fastidia egregius ille artifex erat expertus; uulgatissimum quodque mira ueritate adumbrat et, ut ita dicam, sub adspectum legenti subicit; non enim existimat a poesi cotidianam uiuendi consuetudinem esse remouendam, neque quicquam est quod non ad aptos numeros facile redigat. Quae quamquam eius artis propria signa dici possunt, non tamen uidentur aliis Graecis poetis deesse, qui Homeri uestigia insistentes totiens humanae uitae consuetudinem et uarias illas res agricolarum uel mercatorum uel nautarum uel cuiusuis opificis manibus usurpatas eleganter expresserunt. Hac enim parte si litteras Graecas intueberis, nihil inuenies quod propius ueritati accedat, quamquam illi scriptores ad eximiam quandam pulchritudinis speciem quam in mente gerunt omni ope enituntur. Ita res et homines non solum quales sunt, sed etiam quales esse debent quodammodo descripserunt! Multa igitur sunt in Apollonii Argonauticis quae ad uerum expressa et de rerum natura delineata uideantur; tum poeta tenui et eleganti dicendi genere utitur, quod in exilitatem saepius uersum est; tum poetae stilus extremas rerum lineas circumscribit, molli manu ductus. Nihil uerius quam Herculis habitus, cum omni ui palmam e fluctibus reducens et se totum resupinans, medium remum frangit et fragmen manu tenens, e transtro ipse cadit[1]. Saepe ex illa facultate res uiuidas exprimendi hoc efficitur ut diligenter circumspiciat et aequales suos obseruet. Sic qualis Alexandrina quaedam matrona, Ptolemaeorum aetate, pulchra Venus conspicitur, ornata in sella sedens, aureo pectine in candidis umeris effusos crines deducens; quae quidem urbana comitate Palladem et Heram compellat et eleganti sermone de uariis cotidianæ consuetudinis rebus loquitur,

1. Apoll. *Argon.*, I, 1159-1172.

siue de inconstante filiolo queritur, siue Amorem dulciter increpat, siue amicas de beneuolentia sua facit certiores[1]. Tum agricolam uel opificem, nocte cadente, post longos labores domum redeuntem effetum[2], tum placidae noctis quietem in silenti urbe, dulci misericordia subtilem elegantiam temperans, mira ueritate et quodam animi motu depingit[3]. Hic solis radios circum lacunaria uolitantes et in aereo labro ludentes[4], illic a luna collucens uirginis cuiusdam pallium[5], uel fuluos lupos ouilia inuadentes[6] uel boues iugo suppositos sicco ore anhelantes nec sub ipsa nocte in labore cessantes[7] ita illustrat ut res et animantia oculis nostris subici et, ut ita dicam, extra orationis corpus eminere uideantur. Plerumque, quod mox demonstrabimus, has imagines in comparationes quibus apte utitur inserere solet. Artem tamen illam integram in narrando exhibet. Nihil est mirabilius quam cum crepusculo, aera leniter scindens, pharetra crepitante, Apollo ex Lyciis redux apparet[8]. Eros ille in Medeam arcum intendens, cuius lepidam imaginem putes ex anaglyptis quibusdam esse ablatam, nonne tibi uidetur animatus[9]? Nihil splendidiore colore lucet quam illi uersus ubi fabri officina flamma illustratur et rauco strepitu resonat[10]. Immo fluctuum formam et colorem tam uarie distinctum apte describit; hic aquarum turbo naui imminet, quae uno gubernaculi motu emergit[11]; illic gubernator, in angustis Symplegadum faucibus, cum uastis undarum molibus undique incumbentibus certat, dum Argonautæ, horrore perculsi, saxa propius sensim accedentia utrimque cernunt; curuantur in arcum remi, et nauis e profundo surgens quasi rotunda res in summo aequore currit, nec tamen ex ingenti turbine detrudi potest[12]. Eandem illam elegantiam in adumbrandis minimis rebus adhibet. Quid de sphaera illa caua et rimosa et aurea quam excudit Vulcanus, Deorum ludo aptum munus, dicam[13]? Sed in depingendis uariis ruris adspectibus longe praecellit, seu niue hiemali opertam et nitentem terram[14], seu roseam Aurorae nubem placido ruri et pallidis callibus et uiridibus agris obductam ostendit[15]. Hae sunt tabulae, uariis coloribus a callido artifice distinctae.

Omnes nauales exercitationes et quodcumque ad regendam

---

1. Apoll. *Argon.*, III, 36 sqq.
2. Id., I, 1172 sqq.
3. Id., III, 743 sqq.
4. Id., III, 755 sqq.
5. Id., IV, 167.
6. Id., II, 123 sqq.
7. Id., II, 664 sqq.
8. Id., II, 671 sqq.
9. Id., III, 275 sqq.
10. Unum prope uersum ad hoc effingendum adhibet poeta, III, 41.
[Ἥφαιστος]
ἀλλ' ὁ μὲν ἐς χαλκεῶνα καὶ ἄκμονας ἦρι βεβήκει,
νήσοιο πλαγκτῆς εὐρὺν μυχόν, ᾧ ἔνι πάντα
δαίδαλα χάλκειον φιτῇ πυρός.....
Cf. IV. 922-925.
11. Apoll. *Argon.*, II, 164-177.
12. Id., II, 551-621.
13. Id., III, 131-145.
14. Id., III, 1360, 1361.
15. Id., I, 1280-1284.

nauem pertinet eadem diligentia est adsecutus. Nullum enim fere est ministerium, nulla nautarum opera siue ad concitandos remos, siue ad pandenda uel contrahenda uela utilis, quam non notauerit. Quare non superuacui sunt neque scholiastae commentarii neque praesertim doctissimorum aetatis nostrae criticorum libri, ut tales uersus quodammodo explanentur ; at rursus ex his locis a nobis petitur antiquae naualis artis scientia. Sic, ut exemplis aliquot utar, elegans ille et doctus poeta funem significat qui nauis latera nodo cingit quo eorum partes inter se aptius cohaereant et compages paxillis firmius destinentur [1] ; tum gubernaculum et carbasum ad superiorem mali partem erectam et rudentes in tabulato per fibulas traiectos [2] propriis uerbis designat ; alias etiam demonstrat qua ratione componi debeant transuersae illae trabes, quae mediam nauis partem cum lateribus iungentes remigibus sedilia praebent [3] ; denique plura dicit de erigendo inclinandoue malo [4], de contrahendis *pedibus* (quod est rudentis genus) ad soluenda uela aptis [5], et nautas ipsos monere uidetur qua cura uela deponere et malum inclinare, et remigiis tantum, cum ad terram accedant, uti debeant [6]. Quam diligenter nauis Argus in mare deductio ostenditur ! Nihil sane omisit, neque fossam decliuem ad mare in harena ita impressam ut proram uersus sensim fieret profundior, neque remos inuersos ut manubria, e scalmis exstantia et solide inhaerentia nautis omni ui impellentibus adminiculum quoddam praeberent, neque postremo leues illos cylindros (φάλαγγας) carinae suppositos [7]. Immo antiquitatis ille amator talem nauigandi artem sibi finxit qualem remotissimis temporibus fuisse doctissimi uiri declarabant uel uetustissima monumenta significabant. Tantum abest ut Argo recentioris nauis effingat speciem, ut nautae illi pro ancora lapidem, rudenti adfixum iacere soleant ; unum etiam ex his lapidibus narrat a Iasone esse derelictum in Dolionum litore, prope fontem Artaciam [8].

Haec autem omnia consilio omisit Valerius, ut minutas res et tantum superatae cuiusdam difficultatis gratia commendatas. In quo aliquantum errabat, sed ita origine et ingenio et illa qua uiuebat aetate a Graeco discedebat ut praecipuam poeticae artis laudem ad mouendos animos putaret esse referendam. Sic, cum Apollonius de aedificanda naui pauca tradidisset (etsi quidam existimant uatem haec fusius prima libri editione explicauisse), Valerius in illam ipsam aedificationem depingendam multum laborem impendit, sane quia

---

1. Apoll. *Argon.*, I, 368-371. De his rebus cf. A. Cartault, *la Trière athénienne*. 1881, ch. III-VI.
2. Id., I, 559-566.
3. Id., I, 721-729. Cf. I, 1201 ; II, 70 sqq. et *Scholia*.
4. Apoll. *Argon.*, II, 1254, 1265.
5. Id., II, 932. — Gallice : *les écoutes*.
6. Id., II, 1265...
7. Id., I, 363 sqq.
8. Id., I, 955.

materiam copiosiorem et graui ardentique ingenio large sufficientem probabat. Quare in summo Pelio Minerua uidetur, quae Argo heroi comitanti solida ligna indicat, et opifices hortatur, immo artifici manu nauis lateribus uarias picturas addit.

.....In moenia pernix
Thespiaca ad carum Tritonia deuolat Argum.
Moliri hunc puppem iubet et demittere ferro
Robora Peliacas et iam comes exit in umbras.....
[Iuno] Feruere cuncta uidet coetu, simul undique cernit
Delatum nemus et docta resonare bipenni
Litora ; iam pinus gracili dissoluere lamna
Thespiaden, iungique latus, lentoque sequaces
Molliri uidet igne trabes, remisque paratis
Pallada uelifero quaerentem bracchia malo.
Constitit ut longo moles non peruia ponto
Puppis, et ut tenues subiere latentia cerae
Lumina, picturae uarios superaddit honores [1].

Sic non de nautarum ministeriis neque de naui ipsa agitur, uerum de rebus quae ad eam ornandam aptae sunt. Sed inter argumenta quae pingens Dea elegit, plura eiusmodi sunt ut nauigantibus conueniant et nautarum mentes delectare possint. Peropportune enim poeta maritimarum Dearum pompas et Polyphemi amores expressit ; hæc autem argumenta in tabulis quae in urbe Pompeiis exaratae sunt, reperias. At, quod est artificiosius, Pelei eiusdem qui in nauem Argo ascendit, splendidas nuptias pinxit, et una Pelei et Aesonis praeclara facinora illustrauit, dum Centaurorum et Lapitharum nobile iurgium et atrox proelium ostendit. Ut igitur quod in nauigatione est praecipuum, id est nauticas exercitationes, praetermittit, ita certe quo noua ornamenta adferre uidetur, ibi etiam legentis oculis totius carminis argumentum subicit ; Argonautae enim et Iasonis pater ibi quoque memorantur et praeteritae heroum laudis, futurae pignus, redit imago.

Hic insperatos Tyrrheni tergore piscis
Peleos in thalamos uehitur Thetis ; aequora delphin
Corripit ; illa sedet deiecta in lumina palla,
Nec Ioue maiorem nasci suspirat Achillen.
Hanc Panope Dotoque soror laetataque fluctu
Prosequitur nudis pariter Galatea lacertis,
Antra petens.....
Parte alia Pholoe multoque insanus Iaccho
Rhoetus et Atracia subitae de uirgine pugnae.
Crateres mensaeque uolant araeque Deorum
Poculaque, insignis ueterum labor. Optimus hasta
Hic Peleus, hic ense furens agnoscitur Aeson [2].

1. Val. *Argon.*, I, 92 sqq... 121 sqq. 2. Val. *Argon.*, I, 130 sqq ; 140 sqq.

At rursus Valerius parum cauet quo modo Argonautae nauem illam tam bene ornatam ad mare sint deducturi; quos fingit primum onus illud umeris sustinentes, deinde in numerum fluctus petentes. Etsi a ueritate abhorret tot heroas ista leuissima scapha ad longinqua litora euadere potuisse, hoc poeta nihil pensi habet; nam ad maiora et elata et splendida, uel etiam tumida ingenio euectus, tenues et ad communem cotidianamque consuetudinem pertinentes res diligenter abicit; falso enim iudicat, si quis poeta illas conuenienter reddere conetur, hunc nihil aliud nisi laboris ipsius laudem adipisci posse.

VI

§ 1. — Qua ratione Valerius Apollonium sit imitatus.

§ 2. — De propria eius arte.

§ 1. — Iam intellegimus qua libertate et qua mente Valerius materiam illam retractauerit. Multa igitur in opere quod diligenti manu uersabat, omisit. Sed antequam ad personarum descriptionem ueniamus, plura nobis de his locis dicenda sunt, in quibus Apollonii uestigia premens, eadem prope alia ratione depinxit, uel dum noua adfert, Graeco poetae est aemulatus. Sic ars ipsa quae Valerii propria est, clarior exsistet.

Nusquam fere Apollonii uersus ad uerbum reddidit. Non semel tamen paulum ab exemplari recedit, ut apud eum imitationis certa indicia agnoscas, cum praesertim regiones describit. Ibi etiam notauimus poetam, ingenio suo obsequentem, quod mutuabatur ornare et amplificare solere. Sed aliquando rationem qua uerba inter se excipiunt, seruat integram ; inibi tamen non eandem mentem habet uel res aliter disponit. Sic pro hoc uerbo δολιχὴν quod promuntorii Tisaei nomini Apollonius adiungebat, *obliqua* scribit, quo easdem res sub alio adspectu cernere uidetur. Neque uero solum prominentem illam terram, ut Apollonius, sed delubrum quoddam, in hoc loco positum, memorat ; inde res nescio qua magnificentia imbuit.

Τισαίην εὔκηλοι ὑπὲρ δολιχὴν θέον ἄκρην.....
Templaque Tisaeae mergunt obliqua Dianae[1].

Nonnumquam eligit quae plurimum ualere sentiat, et intra breuius spatium rem iam ab Apollonio depictam concludit, quaedam sane omittens, sed praeter rationem qua plerumque utitur, breuitatem in dicendo affectans. Ita hos de Chalybum gente uersus

.....οὐδέ ποτέ σφιν
ἠὼς ἀντέλλει καμάτων ἄτερ, ἀλλὰ κελαινῇ
λιγνύϊ καὶ καπνῷ κάματον βαρὺν ὀτλεύουσιν

1. Apoll. *Argon.*, I, 568. — Val. *Argon.*, II, 7.

non liberius interpretatur. Si fumum et caliginem neglegit, at certe pertinacem illum laborem illustrat :

> Nocte sub extrema clausis telluris ab antris
> *Peruigil* auditur Chalybum *labor ;* arma *fatigant*
> Ruricolae, Gradiue, tui[1].....

Sed subinde ardentis ingenii impetu raptus ferrum et bella detestatur, in quo procul a duce suo discedit.

Fraus quoque Nymphae Sinopes, Iouis aliorumque Deorum amorem fallentis, eisdem prope uerbis graece et latine refertur. Uterque poeta parem in dicendo elegantiam exhibet.

> .....ἔνθα Σινώπην.
> Θυγατέρ' Ἀσωποῖο, καθίσσατο καὶ οἱ ὄπασσεν
> παρθενίην Ζεὺς αὐτός, ὑποσχεσίῃσι δολωθείς...
> ὡς δὲ καὶ Ἀπόλλωνα παρήπαφεν εὐνηθῆναι
> ἑέμενον, πόταμόν τ' ἐπὶ τοῖς Ἅλυν.....

> .....Stat opima Sinope,
> Nympha prius blandosque Iouis quae luserat ignes
> Caelicolis immota procis : deceptus amatae
> Fraude Deae nec solus Halys, nec solus Apollo[2].

Hic sane poeta noster Apollonii amoenam et subtilem orationem effinxit, sed medios illos duos uersus ut rem parum commode explicantes praetermisit, putans huic antiquae fabulae breuitatem aliquam, et subobscuram, conuenire :

u. 951. δὴ γὰρ ὃ μὲν φιλότητος ἐέλδετο · νεῦσε δ' ὅγ' αὐτῇ
δωσέμεναι, ὅ κεν ἧσι μετὰ φρεσὶν ἰθύσειεν.

Denique, cum ab Hercule liberatum Prometheum breuiter exprimit, ab Apollonio ceterum recedens aliumque ducem secutus, haec de Herculis conatibus narrat :

> .....Iamque *aspera* nisu
> Undique conuellens *ueteris* cum strage *pruinæ*
> *Vincula* prensa manu saxis abduxerat imis
> Arduus et laeuo grauior pede...

Tunc in memoria pulchros illos uersus habebat ubi Vergilius Alciden depingit Caci latebrosa saxa concutientem ; neque uero tamen

---

1. Apoll. *Argon.*, II, 1008. — Val. *Argon.*, V, 140. Nonnulla ex his exemplis Peters attulit, sed longe aliam rationem sequitur (*op. laud.*, p. 60).

2. Apoll. *Argon.*, II, 948-955. — Val. *Argon.*, V, 109-113.

Vergilii uestigia adeo ex propinquo premebat, sed illa potius apud Apollonium obseruabat quae, ut Horatii uerbis utar, « parce detor queret ».

..... τόθι γυῖα περὶ στυφελοῖσι πάγοισιν
ἱλλόμενος χαλκέῃσιν ἀλυκτοπέδῃσι Προμηθεύς[1].....

At fusius explicare decet quatenus Valerius Graecum poetam sit imitatus, cum illum florem depinxit, Promethei cruore nutritum, e quo Medea liquorem exprompsit ad exstinguendos ignes et retundendam ferri aciem efficacissimum ; quem describebat Apollonius, cum puella ad Iasonem properaret ac pretiosam illam herbam in pallii sinum conderet. Valerius autem eundem rerum ordinem seruauit, sed Graeci poetae uersus, qui tantam subtilitatem exhibent, ita retractauit ut non solum ingentem dicendi elegantiam, sed etiam grauitatem quandam et uim nimis fortasse perplexo uerborum ambitu adsequeretur. Colorem nouum induxit, sed quamquam hic ingenio suo luxurianti indulget, Graeci tamen exemplaris quaedam signa agnoscas. Immo plura ex Apollonio ita in suum opus transtulit ut nobis hunc locum explorantibus in promptu sit probare in codicum lectione, contra plerorumque criticorum sententiam, pauca esse emendanda. Scripsit haec Apollonius :

πρωτοφυὲς τόγ' ἀνέσχε [Προμήθειον], καταστάξαντος ἔραζε
αἰετοῦ ὠμηστέω κνημοῖς ἔνι Καυκασίοισιν
αἱματόεντ' ἰχῶρα Προμηθῆος μογεροῖο.
τοῦ δ' ἤτοι ἄνθος μὲν ὅσον πήχυιον ὕπερθεν
χροιῇ Κωρυκίῳ ἴκελον κρόκῳ ἐξεφαάνθη,
καυλοῖσιν διδύμοισιν ἐπήορον · ἡ δ' ἐνὶ γαίῃ
σαρκὶ νεοτμήτῳ ἐναλιγκίη ἔπλετο ῥίζα[2].

Cum igitur Valerius illos uersus prodidit :

..... Prometheae florem de sanguine fibrae
Caucaseum promit nutritaque gramina Ponti,
Quae sacer ille niues inter tristesque pruinas
Durat *agitque* cruor, cum uiscere uultur adeso
Tollitur e scopulis et rostro irrorat aperto[3],

in animo secum habuisse plura de Apollonio sumpta nobis uidetur. Primum tamen sunt qui hoc uerbum « promit » reprehenderint,

---

1. Apoll. *Argon.*, II, 1251-1252. — Val. *Argon.*, V, 158.

2. Apoll. *Argon.*, III, 850 sqq.

3. Val. *Argon.*, VII, 356 sqq. — E Georgii Thilo apparatu critico haec excerpere libet: Dura tedique (supra uocalem litteram *i* et inter *i* et *q* media altera manu addita est *i* littera). M [Monacensis]. — Durat agitque : *uir doctus in margine Vaticani et Venetarum editionum.* — Durat alitque : *Bulaeus* probante *Heinsio.* — Durat obitque *Columbus.* — Thilo proposuit (Praef. p. lix) : promit generatum uertice montis..... Nutrit agitque.

sed iure coiecit Lemaire poetam ita illud ἐξείλετο φωριαμοῖο[1] expressisse. Thilo autem uocem *gramina* « scrupulos mouere » professus est ; quare, cum ipse Baehrens *gramina* respueret, *in gramine* proposuit, faciliore quidem nullum non mutandi studio[2]. Nos enim, nedum docto uiro Thilo adsentiamur et existimemus si haec uox *gramina* intacta linquatur, aliam herbam praeter florem Prometheum intellegendam esse, libenter coiciamus καυλοῖσιν διδύμοισιν *gramina* respondere ; haec est herbae pars quae radices ad imam tellurem, florem ad aera mittit. Eodem modo hoc uerbum *Ponti* ubi planta illa crescat significare et illa epitheta Καυκασίοισιν et Κασπίῃ referre libenter dicamus. Sed nullo modo seruanda sunt haec uerba : *Durat editque cruor,* quoniam talis uersus, quamuis pertinaciter uocem illam *edit* succusseris uel detorseris, tibi uidebitur seu nihil significare, seu plane claudicare. At certe nulla est ratio qua Haupt haec mediocria et aliquantisper mirifica : *educat imbre* coiecerit. Contra iudicamus, Georgio Thilo partim adsensi, poetam ipsum haec scribere debuisse : *Durat agitque* et ita Graecos uersus de sacro illo cruore in herbam euadente elegantissime effinxisse[3]. Hic quoque Valerius et Apollonius inter se multum congruunt.

Eadem fere adseras de imagine illa qua Pollux Amyci impetum sustinens cum gubernatore nauem e medio turbine prudenter euellente conferebatur. Tenui oratione utitur Apollonius naualis artis ceterum haud ignarus.

> ἔνθα δὲ Βεβρύκων μὲν ἄναξ, ἅτε κῦμα θαλάσσης
> τρηχὺ θοὴν ἐπὶ νῆα κορύσσεται, ἣδ' ὑπὸ τυθτόν
> ἴδρείῃ πυκινοῖο κυβερνητῆρος ἀλύσκει,
> ἑαμένου φορέεσθαι ἔσω τοίχοιο κλύδωνος,
> ὡς ὅγε Τυνδαρίδην φοβέων ἔπετ', οὐ δέ μιν εἶα
> δηθύνειν[4].

Quae Valerius amplius et splendidius ad uerbum prope reddit :

> .....Spumanti qualis in alto
> Pliade capta ratis, trepidi quam sola magistri
> Cura tenet, rapidum uentis certantibus aequor
> Intemerata secat, Pollux sic prouidus ictus
> Seruat et Oebalia dubium caput eripit arte[5].

---

1. Apoll. *Argon.*, III, 843.

> ἦ δὲ τέως γλαφυρῇς ἐξείλετο φωριαμοῖο
> φάρμακον, ὅ ῥά τε φασὶ Προμηθέιον καλέεσθαι.

2. Valerii Flacci *Argon.* Ed. Baehrens, Teubner., Leipzig.

3. De hac omni re potest quisque ad Thilo et Lemaire et Baehrens apparatus criticos se conferre.

4. Apoll. *Argon.*, II, 70.

5. Val. *Argon.*, IV, 268.

Nihil fere addidit nisi quoddam dicendi genus, uere proprium, et artificiosam uerborum iuncturam.

Sed plerumque, ubi etiam non libere Apollonium interpretatur, plura retractare quam effingere solet. Sic a Graeco poeta breuiter depingitur Hercules, tanto conamine, quiescentibus sociis, remigans ut frangatur remus et ipse resupinus decidat, remi fragmen tantum manu retinens, miratus et aliquantum pudens ; nam quid faciat nescit et inuitus praeter consuetudinem manet otiosus. Iam obiter notauimus nihil uerius et simplicius adumbrari potuisse.

.....αὐτὰρ ὃ τούγε
πασσυδίῃ μογέοντας ἐφέλκετο καρτεϊ χειρῶν
Ἡρακλέης, ἐτίνασσε δ' ἀρηρότα δούρατα νηός.
ἀλλ' ὅτε δὴ Μυσῶν λελιημένοι ἠπείροιο
Ῥυνδακίδας προχοὰς μέγα τ' ἠϊόν Αἰγαίωνος
τυτθὸν ὑπὲκ Φρυγίης παρεμέτρεον εἰσορόωντες,
δὴ τότ' ἀνοχλίζων τετρηχότος οἴδματος ὄλκους
μεσσόθεν ἆξεν ἔρετμόν. ἀτὰρ τρύφος ἄλλο μὲν αὐτός
ἄμφω χερσὶν ἔχων πέσε δόχμιος, ἄλλο δὲ πόντος
κλύζε παλιρροθίοισι φέρων. ἀνὰ δ' ἔζετο σιγῇ
παπταίνων · χεῖρες γὰρ ἀήθεσον ἠρεμέουσαι.

Valerius de his uersibus complura adsumpsit, sed rem ipsam immutauit. Primum enim, omnem eruditionem fastidiens, locum ubi ea euenerunt praetermittit ; deinde, ne ex Argonautarum uirtute aliquid detrahere uideatur, eos omnes, in primis Eurytum et Talaum et Idan, inter se ad certamen prouocantes ostendit ; atque adeo res non casu accidit, quoniam Hercules ipse acribus uerbis remigantes socios increpat et ad contentionem uocat, uiribus suis fretus. Ceterum poetae nostri sententia splendet, etsi plus aequo quaedam amplificat et libentius quattuor illis uiris deturbatis insistit.

...Instaurant primi certamina liber amictu
Eurytus et dictis Talai non territus Idas ;
Inde alii increpitant atque aequora pectore tollunt.
Par gemitu pulsuque labor, uersumque uicissim
Mittitur in puppem remo mare. Laetus et ipse
Alcides : « Quisnam hos uocat in certamina fluctus ? »
Dixit, et intortis adsurgens arduus undis
Percussit subito deceptum fragmine pectus,
Atque in terga ruens Talaum fortemque Eriboten
Et longe tantae securum Amphiona molis
Obruit inque tuo posuit caput, Iphite, transtro[1].

1. Apoll. *Argon.*, I, 1161 sqq. — Val. *Argon.*, III, 470 sqq.

§ 2. — Saepius igitur Valerius, Graeci poetae liber interpres, omnia ad ingenii sui normam redigit, ut noua esse uideatur ratio qua res siue depingantur, siue ordinentur. Primum ad alta euectus, nec quicquam nisi ingentia et magnifica et splendida mente complexus, affectus graues potissimum concitat. Quare libentius eos locos explicat ubi tales sensus ab Apollonio exhibebantur. Nemini, dummodo Graecis litteris imbutus sit, e memoria exciderunt Alcimede cum filio ultimum colloquium habens et idem heros Lemniae Hypsipylae supremum uale dicens, et raptus a Nympha, furente Hercule, puer Hylas, et Iason Medeaque prope Hecates templum inter se communi fide obstringentes, et Argonautae per Cyaneas rupes uiam sibi aperientes. Illic multa Latinus poeta retractauit, plura etiam addidit.

Apollonius supremum Alcimedes et Iasonis colloquium in hanc operis partem inseruit, ubi heroem depingit e patria domo, extra urbis moenia sita exeuntem et ad portum descendentem. Apud Valerium autem in litore, albescente die, mater filiusque ultimos inter se dant amplexus, dum nautae omnia ad nauigium comparant et iam uela pandunt neque quicquam nisi tubae clangor exspectatur. Hinc commendantur res et personae, hinc maius quidque conspicitur. Naturam sane ut ad similitudinem effingit Apollonius, ita ornando amplificat Valerius. Quaedam autem noua feliciter attulit; nempe Graecus poeta Alcimeden induxerat de solitaria uita lamentantem quam, filio ad incerta fata proficiscente, esset actura, et maeste querentem quod non antea obliuiosa mortis quiete esset obruta[1].

αἴθ' ὄφελον κεῖν' ἦμαρ, ὅτ' ἐξεπόντος ἄκουσα
δειλὴ ἐγὼ Πελίαο κακὴν βασιλῆος ἐφετμὴν,
αὐτίκ' ἀπὸ ψυχὴν μεθέμεν, κηδέων τε λαθέσθαι.....
νῦν γε μὲν ἡ τό πάροιθεν Ἀχαιϊάδεσσιν ἀγητὴ
δμωὴς ὅπως κενεοῖσι λελείψομαι ἐν μεγάροισιν,
σεῖο πόθῳ μινύθουσα δυσάμμορος, ᾧ ἔπι πολλὴν
ἀγλαΐην καὶ κῦδος ἔχον πάρος, ᾧ ἔπι μούνῳ
μίτρην πρῶτον ἔλυσα καὶ ὕστατον.....

Nihil uerius, nihil simplicius excogitari potest. Acrior autem, quamuis non ita ueritati accommodata, sed concitatis et sublimibus affectibus plena uidetur, apud Valerium, Alcimedes lamentatio; nihil enim de se anxia est, neque quicquam nisi carissimi filii pericula secum in animo uersat; immo praeclarissimis Iasonis facinoribus

1. Cf. Hemardinquer, *De Apollonii Rhodii Argonauticis*, thesis. Paris, 1872, p. 84. [Alcimede] nec futuram filii gloriam cogitat, neque uota pro eius salute et reditu nuncupat, toto animo in praesenti dolore uersata. — Apoll. *Argon.*, I, 278. Res narratas a uersu 247 repetere licet.

commixta plura aduersa praesagiens, iam e longinquo horrida spectacula cernere uidetur, ad quae nondum mentem composuerat.

> ..... Nate, indignos aditure labores,
> Diuidimur; nec ad hos animum componere casus
> Ante datum, sed bella tibi terrasque timebam,
> Vota aliis facienda Deis. Si fata reducunt
> Te mihi, si trepidis placabile matribus aequor,
> Possum equidem lucemque pati longumque timorem[1].....

Neque inanibus uotis Alcimede queritur quod non antea fato rapta sit, sed mortem ipsam orat ut praesentem uel cito futuram; non sane omnem spem amisit, sed timore uehementer turbata facilius tristia quam felicia animo concipit. Nonne hoc tenerae matri ultimum erit malum, absente filio mori uel filium in remotissimis oris periisse audire?

> u. 326. Sin aliud Fortuna parat, miserere parentum,
> Mors bona, dum metus est nec adhuc dolor.....

Et iam in amplexus acriore impetu, quam significauerat Apollonius, confugit; nam sunt illi amplexus qui huic matri ultima morientis cuiusque solacia uideantur.

> u. 333. Da, precor, amplexus, haesuraque uerba relinque
> Auribus et dulci iam nunc preme lumina dextra.

Sed singulari arte muliebribus lamentis Aesonis, fortissimi senis uerba opposuit; in quo nihil Apollonio debet qui hunc aegrum et aetate confectum neglexit. Aesoni autem non lugere conuenit, sed praeteritam suam laudem, non sine quadam animi uoluptate, desiderio simul perfusus memorat et ingenti spe innixus filii uirtutem faustis uerbis confirmat[2].

> .....O si mihi sanguis,
> Quantus erat, cum signiferum cratera minantem
> Non leuiore Pholum manus haec compescuit auro;
> Primus in aeratis posuissem puppibus arma.....
> ..... Nunc ille dies (det Iuppiter oro),
> Ille super, quo te Scythici regisque marisque
> Victorem atque umeros ardentem uellere rapto
> Accipiam cedamque tuae mea facta iuuentae.

---

1. Val. *Argon.*, I, 320 sqq.
2. Val. *Argon.*, I, 335 sqq. — Cf. Apoll. *Argon.*, I, 263...

> ..... σὺν δέ σφι πατὴρ ὁλοῷ ὑπὸ γήρᾳ
> ἐντυπὲς ἐν λιχέεσσι καλυψάμενος γοάασκεν.

Superuacuum esse putamus quid in hoc orandi genere minus laudandum sit indicare ; saepius ibi quod est magnificum fit tumidum, et poeta, ab humilibus uerbis abhorrens, ampla et nitida nimis affectat, rhetorum artificiis usus. Hoc unum est premendum, scilicet ars, qua Valerius Graecum opus refecit, res distinxit, affectus mites et acres duplici illo colloquio inter se opposuit et illustrauit. Paulum abest, nisi ullis maculis offendaris, quin hic cum Apollonio aequis uiribus certare tibi uideatur.

Alia exempla adferre libet. Cum Apollonius Iasonem inducit Hypsipylae uale dicentem et e tenero puellae amplexu elabentem, heros ille non molliore sermone utitur, sed amantem his uerbis solatur, quae frigidiora et prudentiora fortasse iudices ; uota enim grato animo excipit eique mandat quid actura sit, si filium pariat[1]. Quae quidem ad uerum potius quam ad pulchrum expressa uidentur esse ; ita plerumque, apud nos ipsos, uulgares et fugitiui amores post breuissimum tempus solui solent. Sola Hypsipyle dulces et sinceros affectus exprimit ; quamquam deseritur neque fere ullam spem seruat, mera caritate potius quam Veneris illecebris mota, paternum regnum et Lemnum insulam Iasoni, incerta fata petenti, tamquam certum perfugium pollicetur. Valerius autem hic personarum et sermonis dignitatem artificiose auxit ; primum enim Hypsipyle, Didoni uere aemula, ardenti herois amore rapitur ; in dulces fletus effusa et timidas querellas edens, nihil memorat nisi illum mutui amoris fructum qui in materno utero latet ; iam ut aeternae memoriae pignora chlamydem in qua sua ipsius praeclara facta patremque seruatum acu pressit, et diuinum patris gladium *marito* tradit.

> Iamne placet primo deducere uela sereno,
> Carius o mihi patre caput ? modo saeua quierunt
> Aequora. Sic portus fugeret ratis, aspera si te
> Plias in aduersae tenuisset litore Thraces ?.....
> I, memor i terrae, quae uos amplexa quieto
> Prima sinu ; refer et domitis a Colchidos oris
> Vela, per hunc utero quem linquis Iasona nostro[2].

Vide quam pulchre Hypsipyle piam patris sui memoriam et Iasonis amorem inter se conciliet ; immo tantum iuuenem amat ut sui ipsius oblita ingentem ei laudem et prosperum iter optet. Ipse autem heros, tota mente in opus inceptum incumbens nec quicquam nisi Ponti litora et aureum uellus et recentes sociorum querellas in

---

1. Apoll. *Argon.*, I, 886 sqq. — Iasonis uerba : 900 sqq.
1. Val. *Argon.*, II, 403... 422.

animo gerens, ne unum quidem uerbum emittit ; grauius hoc sane et nobilius est silentium.

Eandem dignitatem in narratione illa persequitur, qua raptum Hylan describit. Qui quidem puer longe aliam speciem apud utrumque poetam exhibet ; nam Apollonius Hylan induxit domesticis ministeriis fungentem, non quod hic uere seruiliter ageret, sed quia ultro his rebus capessendis, ut tot alii heroes, studebat ; apud antiquos enim fortissimi et optimi uiri, seu belligerantes, seu nauigantes sine ulla uerecundia cibos parare et cuncta domi componere solebant. Finxit igitur Apollonius puerum a sociis missum ut aquam e sacro fonte hauriret.

Τόφρα δ' Ὕλας χαλκέῃ σὺν κάλπιδι νόσφιν ὁμίλου
δίζητο κρήνης ἱερὸν ῥοὸν, ὥς κέ οἱ ὕδωρ
φθαίη ἀφυσσάμενος ποτιδόρπιον[1].....

Haec certe uera sunt et uulgari consuetudini plane apta. Quantum autem a Valerio mutata sunt et prodigiis ornata ! Praesens enim Iuno res quo uoluit impellit ; nam Herculem odio suo exercet neque nouas cotidie fraudes aduersus heroem moliri dubitat, quamquam talem contentionem tam magna Dea indignam ipsa confitetur.

Ingemuit Iuno tandemque silentia rumpit :
« En labor, en odiis caput insuperabile nostris.....
Debueram nullos iuueni iam quaerere casus
Victa nec ad tales forsan descendere pugnas[2]..... »

Apollonius etiam Nymphas, inclinante die, ad secretas sedes redeuntes eleganter significauerat, sed non operae pretium esse iudicauerat dulcem illam speciem clarius illustrare[3].

αἳ μὲν, ὅσαι σκοπιὰς ὀρέων λάχον ἢ καὶ ἐναύλους,
αἵ γε μὲν ὑλήωροι ἀπόπροθεν ἐστιχόωντο.

Longe aliud fuit Valerii consilium ; qui quidem ingenio ad fingendas superbas et splendidas res uidetur esse propensus. Illos igitur amabiles Nympharum choros, quos Apollonius ipse narrabat ad fontem saepe Artemidis laudes canere, per lucos errantes summo dicendi lepore depinxit ; neque uirginum uestis, neque numerosus ingressus, neque arma uenatica negleguntur ; Nymphae enim illae,

---

1. Apoll. *Argon.*, I, 1207 sqq.
2. Val. *Argon.*, III, 509 sqq.
3. Apoll. *Argon.*, I, 1222 sqq.

non, ut apud Graecum, nocturnam quietem et amoenas frondes repetunt, sed feras uenantes leui cursu persequuntur, quales Homerus ostendebat Artemidis comites.

> [Iuno] Haec ait et pariter laeui iuga pinea montis
> Respicit ac pulchro uenantes agmine Nymphas,
> *Undarum nemorumque decus*. Leuis omnibus arcus
> Et manicae uirides et stricta myrtus habena,
> Summo palla genu, tenui uagus innatat unda
> Crinis ad obscurae decurrens cingula mammae.
> Ipsa citatarum tellus pede plausa sororum
> Personat et teneris summittit gramina plantis[1].

Valerius quidem materiam feliciter distinxit; nec tamen eodem modo uterque poeta legentis animum impellit: illic inclinantis diei et prope uesperi silentium et quies; hic post meridiem uitalis aura pinorum frondes mouens, et uenantium Nympharum alacritas et laeti clamores.

At Valerius multo magis ab Apollonio discedit, cum Iunonem inducit Dryopae Nymphae suadentem ut Hylan amet et secum auferat[2]. Tum Dea ceruum suscitat, qui celeriter euolans adulescentis contentionem in se uertit et Hylan praecipiti cursu post se trahit, donec uenator anhelans ad fontem accedit, cuius marmoreis frigidisque undis delectatur. Hic quantum ambo poetae inter se distent discernere licet. Nam Valerius, etsi res aliter disposuerat, ad eundem fontem Hylan adduxit, quo primum Apollonius hunc adulescentem ad hauriendam aquam miserat. At Graecus poeta summa elegantia, subtili stilo, omni ornatu orationis detracto, Nymphae Ephydatiae depingit sensus, cum mediis ex undis, puerum aduersis lunae radiis offulgentem conspicit et intuetur

> κάλλεϊ καὶ γλυκερῇσιν ἐρευθόμενον χαρίτεσσιν,
> πρὸς γὰρ οἱ διχόμηνις ἀπ' αἰθέρος αὐγάζουσα
> βάλλε σελήναίη[3].....

Mollior quidem illa rapti pueri et rapientis puellae imago oculis nostris subiecta est quam si quis artifex has easdem res pingeret uel caelaret; nullus enim motus prauus aut dubius uidetur, siue Hylas acclinis ad undam urnam inuergit quae rauco murmure impletur, siue diuina uirgo, basiorum auida, Hylan rapit, supra adulescentis ceruicem sinistram manum porrigens et dextera alteri eius bracchio inhaerens.

---

1. Val. *Argon.*, III, 521.
2. Id., III, 529 sqq.
3. Apoll. *Argon.*, I, 1229 sqq.

αὐτὰρ ὅγ' ὡς τὰ πρῶτα ῥόῳ ἔνι κάλπιν ἔρεισεν
λέχριος ἐπιχριμφθείς, περὶ δ' ἄσπετον ἔδραχεν ὕδωρ
χαλκὸν ἐς ἠχήεντα φορεύμενον, αὐτίκα δ' ἦγε
λαιὸν μὲν καθύπερθεν ἐπ' αὐχένος ἄνθετο πῆχυν
κύσσαι ἐπιθύουσα τέρεν στόμα· δεξιτερῇ δὲ
ἀγκῶν' ἔσπασε χειρί, μέσῃ δ' ἐνικάββαλε δίνῃ.

Hic Valerius, ut solet, cum Graeco contendit, sed dum ad maiora et splendidiora euehitur, naturae parum apta et nimis exquisita exprimit. Non enim iam de luna agitur, atque is est Hylæ uultus qui tale iubar diffundat; callide quoque finxit poeta nescio quo insuperabili lenocinio Hylan pellectum, cum Nympha ad eum de mediis undis sese extolleret, et quamuis raptum ultimis uocibus amici auxilium petentem.

..... Gratos auidus procumbit ad amnes
Stagna uaga sic luce micant, ubi Cynthia caelo
Prospicit aut medii transit rota candida Phoebi:
Tale iubar diffundit aquis; nil umbra comaeque
Turbauitque sonus surgentis ad oscula Nymphae
Illa auidas iniecta manus heu sera cientem
Auxilia et magni referentem nomen amici
Detrahit; adiutae prono nam pondere uires[1].

In reliqua narratione, quatenus Valerius ad Apollonii exemplum se referat, clare perspici potest. Primum quae ei redundare et paulum extra rem ipsam progredi uidentur, amputat; sic de Polyphemo Herculem monente tacet. Bis tamen aliquid ab Apollonio mutuatur; Herculem enim, non ut Graecus poeta, Polyphemum cum leone confert; sed illam feram Apollonius ouilia frustra obsidentem depinxit, Valerius autem Mauri lancea percussam et hosti uasto hiatu horrendoque murmure minantem; in quo poeta noster Lucani uersus quosdam undique peruulgatos meminerat[2]; uerum hoc notabile est quod Apollonius illis uersibus pastorum mores et rus expressit, his autem Valerius res ad splendidiorem speciem rettulit, multum alioqui Graeco uati cedens.

[Πολύφημος] βῆ δὲ μεταίξας Ηηγέων σχεδόν ἠύτέ τις θὴρ
ἄγριος, ὅν ῥά τε γῆρυς ἀπόπροθεν ἵκετο μήλων,
λιμῷ δ' αἰθόμενος μετανείσεται, οὐ δ' ἐπέκυρσεν
ποίμνῃσιν· πρὸ γὰρ αὐτοὶ ἐνὶ σταθμοῖσι νομῆες
ἔλσαν· ὃ δὲ στενάγων βρέμει ἄσπετον, ὄρρα κάμῃσιν·
ὣς τότ' ἄρ' Εἰλατίδης μεγάλ' ἔστενεν, ἀμφὶ δὲ χῶρον
φοίτα κεκληγώς· μελέη δέ οἱ ἔπλετο φωνή.

1. Val. *Argon.*, III, 557 sqq. 2. Lucani *Pharsalia*, I, 205 sqq.

[Alcides] Ille, uelut refugi quem contigit improba Mauri
Lancea sanguineus uasto leo murmure fertur,
Frangit et absentem uacuis sub dentibus hostem,
Sic furiis accensa gerens Tirynthius ora
Fertur et intento decurrit montibus arcu[1].

Amplus quidem ille gestus, et uim et horrorem exhibens! Valerius autem propius secutus est uersus, quibus Apollonius Herculem cum tauro asili aculeum effugere conante et ualles montesque acri impetu percurrente comparauerat; hic tamen quoque res quaedam, e medio sumptae et communi usui conuenientes a Latino poeta omittuntur, qui non minus libenter in Italo rure pascentem taurum finxit.

ὡς δ' ὅτε τίς τε μύωπι τετυμμένος ἔσσυτο ταῦρος
πίσεά τε προλιπὼν καὶ ἑλεσπίδας, οὐ δὲ νομῆων,
οὐ δ' ἀγέλης ὄθεται, πρήσσει δ' ὁδόν, ἄλλοτ' ἄπαυστος,
ἄλλοτε δ' ἱστάμενος, καὶ ἀνὰ πλατὺν αὐχέν' ἀείρων
ἴησιν μύκημα, κακῷ βεβολημένος οἴστρῳ·
ὣς ὅγε μαιμώων ὁτὲ μὲν θοα γούνατ' ἔπαλλεν
συνεχέως, ὁτὲ δ' αὖτε μεταλλήγων καμάτοιο
τῆλε διαπρύσιον μεγάλῃ βοάασκεν ἀὐτῇ.

Continuo, uolucri ceu pectora *tactus asilo*
Emicuit Calabris taurus per confraga saeptis
Obuia quaeque ruens, tali se concitat ardens
In iuga senta fuga : pauet omnis conscia late
Silua, pauent montes, luctu succensus acerbo
Quid struat Alcides tantaque quid apparet ira.....

Cetera igitur paulum neglegens, se totum Valerius ad unius Herculis iram describendam confert; iam ab Apollonii uestigiis se remouens rem ample exponit et fuscis coloribus onerat, ad hoc solum attentus ut animos commoueat et magna et immania in mentes iniciat. Tunc etiam uersus illos retractat quibus Apollonius furentis tauri uagos cursus depinxit, eosque artificiose in herois furorem conuertit.

..... Volat ordine nullo
Cuncta petens; *nunc ad ripas deiectaque saxis*
Flumina, nunc notas nemorum procurrit ad umbras.
Rursus Hylan et rursus Hylan per longa reclamat
Auia; *responsant siluae* et uaga certat imago[2].

Nusquam autem alias quantum utriusque ingenia inter se differant clarius apparet quam ubi ab Argonautis transuectas Symple-

1. Apoll. *Argon.*, I, 1243-1250. — Val. *Argon.*, III, 587-592.

2. Apoll. *Argon.*, I, 1265 sqq. — Val. *Argon.*, III, 581-597.

gadas describunt. Si ad Apollonii narrationem spectaueris, tibi uidebitur non minus quam uirorum conatus et uirtutem, turbidi maris motus et uarias fluctuum species exprimendas in animo habuisse; ad hoc se diligenter rettulit, multaque ibi sunt, quæ, in bono lumine collocata, paene dicas oculis subici uel aures impellere. Primum auditur maris et nobilium illorum saxorum fremitus.

ἤδη δέ σφισι δοῦπος ἀρασσομένων πετράων
νωλεμὲς οὔατ' ἔβαλλε, βόων δ' ἁλιμυρέες ἀκταί[1]...

Cum deinde nautae aegre prodeuntes ad parui freti anfractum quendam peruenerunt et procul per diductas rupes mare discreuerunt, sine intermissu luctantur, undarum facti, ut ita dicam, ludibrium; hic, dum saxorum caua resonant, in miram altitudinem erumpunt spumantes fluctus, quos egregie delineauit poeta.

..... ὦρτο δὲ πολλὴ
ἅλμη ἀναβρασθεῖσα, νέφος ὥς.....
.....κοῖλαι δὲ σπήλυγγες ὑπὸ σπιλάδας τρηχείας
κλυζούσης ἁλὸς ἔνδον ἐόμβεον · ὑψόθι δ' ὄχθης
λευκὴ καχλάζοντος ἀνέπτυε κύματος ἀχνη[2].

Interea Euphemus misit illam columbam qua salua hoc opus Argonautae maiore spe erant ingressuri; iam uasto hiatu discesserant Cyaneae rupes; tunc, ut crescit remigum conatus, ita periculum augetur. Nam uasto murmure a saxis uersus supra eorum capita immensus turbo uoluitur, cuius uim diligens Tiphys quodammodo remouet, remos iubens acrius concitari; sed retro inuiti reducuntur, nec quicquam longo illo luctamine maris furorem domare possunt.

ἀλλά μιν ἔρθη Τῖφυς ὑπ' εἰρεσίῃ βαρύθουσαν
ἀγχαλάσας · τὸ δὲ πολλὸν ὑπὸ τρόπιν ἐξεκυλίσθη,
ἐκ δ' αὐτὴν πρύμνηθεν ἀνείρυσε τηλόθι νῆα
πετράων[3].....

At iam nouo fluctu ad Cyaneas reuoluti, media in uoragine deuincti, paululum abest quin plane submergantur, cum Dea Pallas adest, scopulumque alterum sinistra manu retinens dextra per angustias loci nauem impellit. Hic quoque rerum natura potius quam hominum depingitur; tum curuantur remi, tum ut rotundus quidam cylindrus, per summos fluctus fugit indocilis nauis.

---

1. Apoll. *Argon.*, II, 555, 556.
2. Id., II, 567.
3. Apoll. *Argon.*, II, 586.

..... ἐπεγνάμπτοντο δὲ κῶπαι
ἠύτε καμπύλα τόξα, βιαζομένων ἡρώων.
.....ἣ δ' ἄραρ ὥστε κύλινδρος ἐπέτρεχε κύματι λάβρῳ
προπροκαταίγδην κοίλης ἁλός[1].....

Haec sane omnia ad uerum furens mare et homines cum ipsarum rerum caeca ui luctantes exprimunt; in hoc poetae mens insistit, neque usquam fere ab illo proposito discedit, etiamsi res ornat et uariat; paucis enim uerbis Erginus et Tiphys socios hortantur.

Non uero eadem describendi ratione utitur Valerius; namque horrendam Cyanearum imaginem ita ostendit ut, loco ipso determinato, heroum praesertim uirtus commendetur; hoc quoque ei ansam praebuit ingenium suum sequendi et sublimem illam atque illustrem orationem affectandi.

..... Stant ora metu nec fessa recedunt
Lumina diuersas circum seruantibus undas,
Cum procul auditi sonitus insanaque saxa;
Saxa neque illa uiris, sed praecipitata profundo
Siderei pars uisa poli[2].....
Unda laborantes praeceps rotat ac fuga ponti
Obuia, miscentur rupes, iamque aequore toto
Cyaneae iuga praecipites illisa remittunt[3].

Ex hoc intellegi potest quam uehemens sit illud dicendi genus et quam diligenter nautarum sensus exprimantur; multa uidetur poeta de hoc uno uersu deduxisse:

..... τότε δ' αἰνότατον δέος εἷλεν
πάντας[4].....

Praelucet inter omnes eximia uirtute Iason; per transtra currit, hos increpat, illos hortatur, e Phaleri manu remum arripit ut exemplo animos incendat, denique laetus diuinum illum ignem in angustiis uolantem tamquam felix signum comitibus nuntiat:

Ipse per arma uolans et per iuga summa carinae
Hortatur supplexque manus intendit Iason
Nomine quemque premens[5].....

Non igitur, ut Apollonius, Euphemum inducit aliorum et ducis ipsius animos reficientem et recreantem[6], sed contra Iasoni primas

1. Apoll. *Argon.*, II, 593... 596 sqq.
2. Val. *Argon.*, IV, 639 sqq.
3. Id., IV, 656.
4. Apoll. *Argon.*, II, 579... 580.
5. Val. *Argon.*, IV, 647 sqq.
6. Apoll. *Argon.*, II, 590.

in omni re attribuit partes. Postremo Valerius, ut audacis illius consilii magnitudinem augeat, Deos ostendit e summo caelo aduertentes, neque unam tantummodo Deam, sed Palladem simul et Iunonem depingit cum iam Cyaneae rupes prope inter se colliduntur, utrumque cacumen ualida manu retinentes[1]. Sic quodcumque de Graeco exemplari desumpsit ita informauit ut uehementer animos moueret; quod ut adsequeretur, res ornandas et augendas et amplificandas artificiose curauit. Utriusque artis exemplum hos uersus adferre non dubitem.

..... ἐν δ' ἄρα μέσσαις
Πληγάσι δινήεις εἶχεν ῥόος · αἳ δ' ἑκάτερθεν
σειόμεναι βρόμεον.

Sed neque permissis iam fundere rector habenis
Vela nec eniti remis pote : cum super adsunt
Cyaneae; premit umbra ratem scopulique feruntur
Comminus[2].

Aequali studio Valerius ad ea incumbit quae truces uiolentosque sensus designant. Quicquid homines ui agunt, in lucem prodit, neque horrida uel immania reformidat. Sic Lemniorum caedem acriter et uehementer adumbrauit, quam Graecus ab oculis sedulo remouerat[3]. Pingenda illa mulierum inaudita crudelitate mire uidetur esse delectatus. Neque usquam alias apud eum parem dicendi uim et colores uariandi artem reperias. Ceterum rerum copiosissima uidetur illa narratio. Nam non solum trucidatos Lemnios descripsit, sed etiam Hypsipyles uirtutem, dum media e strage senem patrem eripit, fusius laudauit. Has autem res, inter se pulchre cohaerentes bene composuit et personas apte expressit. Neque mirum est quod argumentum ipsum poetae mentem subleuauerit, nam digna erat illa Hypsipyle quae ut tot aliae ab inclitis poetis celebratae mulieres pietatis exemplum maneret. Quo studio incertum patris gradum sustinet, qua diligentia senem in aede post Bacchi simulacrum occultat, quo et quam sancto dolo, « casta, ut ita dicam, inceste », sacerdotis ornamentis induta, thyrsum manu tenens, patrem in Dei curru locatum statuae similem et ipsa Lyaei ueste opertum per uias inuehit! Quibus denique precibus felix nauigium a Deis orat, quibus uotis scapham in qua insedit senex, prosequitur decedentem! Atque haec uere noua sunt, quippe quae Apollonius uno alteroue uersu obiter attigerit.

Etenim Valerius, quippe qui legentis animum mouere uelit

1. Cf. Apoll., II, 600 sqq. — Val., IV, 682.
2. Apoll., II, 597. — Val., IV, 679.
3. Apoll., I, 609-620.

suoque ingenio obsequatur, quicquid in rebus uel personis corporis aut animi uim designat, libenter explicat ; nihil igitur mirum quod eius mens in proeliis et fusorum corporum strage uersetur ; in hoc enim graecum opus auxit et omnibus modis nouauit. Cuius rei singulare exemplum nobis porriget Pollucis et Bebrycum regis Amyci certamen. Tum quatenus ab Apollonio differat apparebit. Hic autem laudandus est quod pugnatorum speciem, immo quemque gestum uel motum tam uere expresserit ; omnes res in tabula quadam delineatas uel in marmore dicas insculptas ; breuis illa narratio, in qua nihil redundat nec deficit, magnam uim in se habet.

[*Pollux*] στῆ ῥ' ἄμοτον καὶ χερσὶν ἐναντία χεῖρας ἔμιξεν.
.....ὣς τοῖσι παρήϊά τ' ἀμφοτέρωθεν
καὶ γένυες κτύπεον · βρυχὴ δ' ὑπετέλλετ' ὀδόντων
ἄσπετος, οὐ δ' ἔλληξαν ἐπισταδὸν οὐτάζοντες,
ἔστε περ οὐλοὸν ἄσθμα καὶ ἀμφοτέρους ἐδάμασσεν.
.....ἔνθα δ' ἔπειτ' Ἄμυκος μὲν ἐπ' ἀκροτάτοισιν ἀερθεὶς,
βουτύπος οἷα, πόδεσσι τανύσσατο, καὶ δὲ βαρεῖαν
χεῖρ' ἐπὶ οἱ πελέμιξεν · ὃ δ' ἀίξαντος ὑπέστη,
κρὰτα παρακλίνας[1].....

Plura Valerius ad uerbum prope transtulit, sed aliqua Vergilio debet, qui iam Entelli et Daretis in funebribus ludis certamen mira arte depinxerat : sane Apollonium secutus est, siue, eundem rerum ordinem seruans, Pollucem induxit ictus primo potius propulsantem quam in aduersarium incedentem, inde maiore sensim impetu aggredientem, siue certantem heroem cum docto quodam nauis magistro contulit[2]. Ita, si hos uersus perlegeris :

Continuo Bebryx, Maleae uelut arce fragosa
Turbo rapax, uix ora uirum, uix tollere passus
Bracchia torrenti praeceps agit undique nimbo
Cursibus inuoluens, totaque immanis harena
Insequitur. Vigil ille metu cum pectore et armis
Huc alternus et huc, semper *ceruice reducta,*
Semper et in digitis et summi puluere campi,
Proiectusque redit.....
Vix steterant, et iam ecce ruunt inflictaque late
Terga sonant ; noua uis iterum, noua corpora surgunt.
Hunc pudor, hunc noto iam spes audentior hoste
Instimulat. Fumant crebro praecordia pulsu.....
Emicat hic dextramque parat dextramque minatur
Tyndarides ; redit huc oculis et pondere Bebryx,
Sic ratus, ille autem celeri rapit ora sinistra.
Conclamant socii et subitas dant gaudia uoces[3],

1. Apoll. *Argon.*. II, 78... 90...
2. Val. *Argon.*, IV, 268-273. Cf. Apoll., II, 70.
3. Id., IV, 261 sqq. — Cf. *Aen.*, V, 364-482.

tunc tibi in memoriam reuocabuntur nonnulla quae ex Apollonio et Theocrito et Vergilio praesertim deprompta esse coicias. Sic ad Vergilium referre licet haec uerba : « ceruice reducta » et « arenti cunctantem uidit hiatu » et « inflicta late terga sonant » et « hunc pudor..... instimulat » et « turbatque premitque ».

Cf. *Aen.*, V.,	428	Abduxere retro longe capita ardua ab ictu.
Id.	432	.....uastos quatit aeger anhelitus artus.
Id.	434	Multa cauo lateri ingeminant et pectore uastos Dant sonitus.....
Id.	455	Tum pudor incendit uires et conscia uirtus Praecipitemque Daren ardens agit aequore toto.
Id.	459	.....sic densis ictibus heros Creber utraque manu pulsat uersatque Dareta.

Ad Vergilium autem et Apollonium pariter illa referas : « semper et in digitis et summi puluere campi ». Etenim Apollonius hunc uersum scripserat :

Argon., II., 90. Ἔνθα δ' ἔπειτ' Ἄμυκος μὲν ἐπ' ἀκροτάτοισιν ἀερθείς....

Vergilius autem illum :

Aen., V., 426. Constitit in digitos extemplo arrectus uterque.

Sed Grueneberg temerius fortasse putauit Valerium de Vergilio, Vergilium de Theocrito, at non Valerium de Theocrito plura sumpsisse [1]. Nam fraus qua Pollucem usum esse fingit Valerius (u. 289), non multum ab illo motu differt, quem apud Theocritum, idem hoc certamen in carmine quod Διόσκουροι inscribitur illustrantem, Amycus ipse facit. Nam si quidem ita « dextram minatur » interpretaris ut uir dextra manu primum heroem insidiose aggrediatur donec sinistra ictum inflixerit [2], aliquam similitudinem huic uersui cum Theocriti uersibus esse iudicabis.

> Ἦτοι ὅγε [*Amycus*] ῥέξαι τι λιλαιόμενος μέγα ἔργον
> σκαιῇ μὲν σκαιὴν Πολυδεύκεος ἔλλαβε χεῖρα,
> δοχμὸς ἀπὸ προβολῆς κλινθείς, ἑτέρῃ δ' ἐπιβαίνων
> δεξιτέρης ἤνεγκεν ἐπὶ λαγόνας πλατὺ γυῖον [3].

---

1. *De Valerio Flacco imitatore*. Berolini, 1893, p. 27. Cf. 23-28.

2. Ea uero quae scribimus integra maneant etiamsi « dextram minatur » interpreteris quasi Pollux dicatur dextra parte aduersario minari ; quod parum probabile est, atque adeo reiciendum.

3. Theocriti *Id.* 20, 118. — Nihil de hoc apud Gruenberg qui cum eisdem Valerii uersibus falso nobis uidetur illum Theocriti uersum committere : 102. τὸν μὲν ἄναξ ἐτάρασσεν ἐτώσια χερσὶ προδεικνὺς παντόθεν...

Nonne ex Theocrito quoque hoc desumpsit

.....ὃ δ' αἰεὶ μάσσονα γυῖα
ἁπτομένου φορέεσκε πόνου χροιῇ δὲ τ' ἀμείνω[1],.....

quod in illam speciem reduxit?

.....Noua uis iterum, noua corpora surgunt[2].

Consentaneum igitur est existimare plura Valerio, cum illa perscriberet, fuisse exempla.

At propria arte uarias certaminis partes non solum inter se aptius iunxit, sed etiam unam ex altera ita deduxit ut maior fieret lectoris delectatio et uarium idemque unum opus uideretur; immo, quod ei uere peculiare est habendum, certantium sensus ita egregie depinxit ut ex eis proelii euentus penderet. Bebrycium enim ostendit arrogantem et incauto ardore raptum, deinde admirantem et stupentem cum Pollucem sentit haud infeliciter obsistere; Pollux autem, uiribus modeste fidens, irae et uirtutis impetum prudentia moderatur. Breui praeceps agitur res, effuso Amyci furore, qui, omni consilio sublato, ictus temere proicit et Tyndariden sinit, omnibus fraudibus usum, genibus iunctis latus aduersario offerre et auersum Amycum ultimis uulneribus opprimere. At, cum Valerius pugnantium motus et fraudes describit et uarios ictus notat, multum artis exhibet; Graeco enim aemulus, dum eius breuitatem effingere conatur, noua et sui propria addit, quippe qui animi sensus diligentius exprimat et omnia, ut ita dicam, uehementiore impetu rapiat et lucidiore colore inficiat.

Eandem artem in tot depingendis proeliis adhibuit, praesertim in illo sexto libro quem fere totum sibi uindicare poterat, quoniam Apollonius uno alteroue uersu forte ad illa bella respexit. Iam uidimus quanto hic studio gentium situs et mores obseruauisset et cunctis siue rebus siue personis barbaram quandam speciem addidisset. Ibi quoque proelia tam artificiose pinxit ut nihil uiuidius, nihil concitandis animis aptius excogites. Sane Homerum et Vergilium adsidue perlegerat, sed ex eorum carminibus uerborum tantum copiam uidetur sumpsisse, omnia arte sua retractans; Gesander enim, cum Scytharum uirtutes laudat, non totus ad Numanum est referendus[3]; nam poeta, cum illa proelia describeret, numquam non Barbarorum mores et usus in mente habuit; ibi exacta fide omnia expressa et quasi scalpro in aes uel marmor uidentur incisa;

1. Id., 114. — Cf. Valerium, IV, 193 et Theocritum, 20, 175 (Grueneberg).

2. Val. *Argon.*, IV, 283.

3. Val. *Argon.*, VI, 323 sqq. — Vergilii *Aen.*, IX, 598 sqq.

ibi Apollonium et Vergilium et Lucanum aequat, immo eis quodammodo superior colorum uarietate exsistit. Tum enim proeliorum speciem summatim adumbrat :

> Continuo hinc obitus perfractaque caedibus arma
> Corporaque, alternus cruor, alternaeque ruinae ;
> Voluit ager galeas et thorax erigit imbres
> Sanguineos[1].

Tum milites inter se certantes exponit. Cuiusque uiri uultus et gestus, siue trucidat, siue grauiter securi uel gladio percutitur, in bono lumine collocantur, et, ut ita dicam, extra orationis corpus feliciter eminent.

> Campesus impacta latus inter et ilia quercu
> Tollitur ac mediam moriens descendit in hastam.
> ....Impulit aduerso praeceps equus Onchea conto,
> Nequicquam totis reuocantem uiribus armos[2].

Optima quidem haec essent, si minus sollicito dicendi genere uteretur. Nihil est insignius quam ratio qua Sarmatae hastas tractare solent.

> .....At equi porrecta per armos
> Et caput, ingentem campis hostilibus umbram
> Fert abies obnixa genu, uaditque uirum ui,
> Vadit equum, docilis relegi docilisque relinqui,
> Atque iterum medios non tardior ire per hostes[3].

Magna uis inest in his uersibus quibus mors Canthi et mutuae prope uiri corpus caedes et falcarii currus ab Ariasmeno immissi in Barbaram aciem redeuntes narrantur[4]. Hic tumultus et clamores, telorum coniectus, pertinax Telamonis uirtus, acerrimus Gesandri ardor, falcariis curribus confuse turbati, inuersi, calcati, lacerati homines et equi pulchre exprimuntur. Splendida in primis Absyrti species qui uelocibus bigis in campo incedens pugnantium oculos miro armorum fulgore praestringit et rotarum pondere uiua exanimaque opprimit corpora[5]. Nusquam latius patet singularis illa ars affectus graues mouendi quam cum Aquiten uatem inducit, diuinis ornamentis oneratum, a Gesandro frustra uitam petentem[6] ; hic simul barbaros mores et senis erga filium pietatem et uiri crudelitatem praestat.

---

1. Val. *Argon.*, VI, 184.
2. Id., VI, 243... 256.
3. Id., VI, 234 sqq.
4. Id., VI, 345-427.
5. Id., VI, 517 sqq.
6. Id., VI, 294 sqq. Videtur aliquid ab Homero, *Il.* XXII, 71 et Tyrtaeo, Γνωθ., fr. 10, u. 21, mutuari (313, 314).

Indigenis sacratus aquis magnique sacerdos
Phasidis Arctois Aquites errabat in armis,
(Populeus cui frondis honos conspectaque glauco
Tempora nectuntur ramo) te, Cyrne, parentis
Immemorem durae cupiens abducere pugnae ;
Iamque omnes impune globos diuersaque lustrans
Agmina, quem quaerit nusquam uidet, atque iterum intrat
Vociferans, iterum belli diuersa peregrat ;
Lancea caeruleas circum strepit incita uittas.
Opprimit aduersis ferus hunc Gesander habenis.
Ille manum trepidans atque irrita sacra tetendit,
« Teque per hanc », inquit, « genitor tibi si manet, oro
Canitiem, compesce minas et sicubi nato
Parce meo », dixit. Contra sic uictor adacto
Ense refert : « Genitor, turpi durare senecta
Quem mihi reris adhuc, ipse hac occumbere dextra
Maluit atque ultro segnes abrumpere metas.
Et tibi si pietas nati, si dextra fuisset,
Haud medii precibus tereres nunc tempora belli,
Praeda future canum. Iuueni sors pulchrior omni,
Et certasse manu decet et caruisse sepulchro. »
Dixerat, ille Deos moriens caelumque precatur,
Dextera ne misero talis foret obuia nato.

Quid trucem Colaxis uultum ferociaque uerba memorem ? Quem Iasonis manu occumbentem tristi et patienti animo Iuppiter ipse, iuuenis pater, e summo caeli adspicit ; hic poeta nimis modeste quae de Sarpedone Homerus Ioui et Herae, de Pallante Vergilius Ioui tribuerat uerba secutus est[1]. At certe noua pepigit.

Cum talia libenter depingeret, non solum suo ipsius ingenio ducebatur, sed etiam Lucani uestigia insistebat et communi aequalium suorum studio indulgebat. Ex quo fit ut his rebus tam uehementer delectetur. Multam praecipue curam describendis magicis artificiis impendit. Nonne Scythas, Centoras et Choatras, tot gentes indicat in bella irrumpentes sola prope Medeam sagarum inclitissimam uidendi cupiditate[2] ? Quid ? cum Medeae potentiam splendidis uersibus celebrat[3].

Illius ad fremitus sparsosque per auia sucos
Sidera fixa pauent et aui stupet orbita Solis.
Mutat agros fluuiumque uias, suus alligat igni
Cuncta sopor, recolit fessos aetate parentes,
Datque alias sine lege colus....

Hic parum Apollonio debet ; etiamsi e Graeco quaedam integra fere adsumit, nouum eis colorem induit ; sic, ubi Medeam de-

1. Val. *Argon.*, VI, 621. — Homeri *Ilias*, XVI, 433 sqq., 439 sqq., 458 sqq. — Vergilii *Aeneis*, X, 465 sqq.

2. Val. *Argon.*, VI, 150-160.

3. Id., VI, 441 sqq.

pinxit carminibus draconi oculos occludentem, ut Iason aureo uellere potiretur, ingenii sui uim et splendorem exprompsit. Apollonius enim de sagae artificiis parum loquitur, neque quicquam eiusmodi fere pingit nisi serpentis horrendos sibilos, qui omnibus terrorem incutiunt, et magis magisque lentos motus, cum belua, somno sensim cedens, orbes et squamas deuoluit. Nihil illic nimium uidetur, nam poeta in ipsis monstris describendis quae ueri quodammodo similia sunt libenter eligit. Non tamquam ignis draco apparet; quem poeta cum nube ultimis occidentis solis radiis illustrata uel cum fumo flammis commixto in silua incensa, subtiliter comparat. Quin etiam Iason, dum mira delectatione arietis uellus conspicit, in poetae ingenium illam cuiusdam uirginis sub lucente luna uarie coloratum pallium admirantis imaginem inicit.

Ὡς δὲ σεληναίην διχομήνιδα παρθένος αἴγλην
ὑψόθεν ἐξανέχουσαν ὑπωροφίου θαλάμοιο
λεπταλέῳ ἐανῷ ὑποίσχεται· ἐν δέ οἱ ἦτορ
χαίρει δερκομένης καλὸν σέλας· ὣς τότ' Ἰήσων
γηθόσυνος μέγα κῶας ἑαῖς ἐναείρατο χερσίν[1].....

Valerius easdem res aliter expressit. Vehementi enim dicendi genere utitur; sed ibi certe orationis uim et magnificentiam dulcibus sagae de dracone, quem ipsa propter Iasonis amorem occidit, querimoniis egregie temperauit. At aliquanto ceteris praestat splendida illa grauitas; sic cum draconis oculi intempesta nocte uelut ignes lucent.

.. ..Cum subito ingentem media inter nubila flammam
[Iason] Conspicit, et saeua uibrantes luce tenebras.....
« Ipsius en oculos et lumina torua draconis
Adspicis; ille suis haec uibrat fulgura cristis[2]. »

Fusius autem describitur Hecates sacerdotis ministerium, cum Medea non sine quadam tristitia, crine soluto manibusque ad caelum erectis Somno uota facit et carminibus draconem sopit.

Iamque manus Colchis crinemque intenderat astris
Carmina barbarico fundens pede, teque ciebat,
Somne pater: « Somne omnipotens, te Colchis ab omni
Orbe uoco, inque unum iubeo nunc ire draconem,
Quae freta saepe tuo domui, quae nubila, cornu
Fulminaque et toto quicquid micat aethere, sed nunc,
Nunc age maior ades fratrique simillime leto.

---

1. Apoll. *Argon.*, IV, 167 sqq. Cf. 99-183.

2. Val. *Argon.*, VIII, 56... 60 (Medeae uerba).

Te quoque, Phrixeae pecudis fidissime custos,
Tempus ab hac oculos tandem deflectere cura ».....
Ipsa caput cari postquam Medea draconis
Vidit humi, fusis circum proiecta lacertis
Seque suumque simul fleuit crudelis alumnum[1].

Tunc uirgo sacri anguis miserandam sortem deplorat, qui olim sacrificantis dominae fidelis socius fuerat eique mitiore animo gratiam referebat; immo futura scelera praesentit ac praeteritae adulescentiae gaudiis uale dicit; cum dracone abire sibi intellegit patriae et parentium et sanctae domus amorem. In his etiam locis, ubi magica artificia describit, poeta non tam ad ritus et caerimonias explicandas quam ad personarum sensus exprimendos uidetur spectare. Qua arte demonstrabimus illum nouam Medeae imaginem posteris tradidisse, cum uirginis sacerdotium non minus quam amorem secum in animo uersaret. Tales autem affectus Valerii ingenio apte conueniunt. Pulchri quidem illi uersus quibus Medea sacra carmina fundens depingitur; neque uero probandos existimamus criticos qui hunc uersum (68) : « Iamque manus Colchis crinemque intenderat astris » nimia religione corrigere sint ausi. Quo contra feliciter nobis exprimi uidetur ardens illa et mente turbata saga quae horridum crinem et oculos in caelum erigit et ad longinquas illas plagas totis animi corporisque uiribus tendit. Quare multum errare nobis uidetur Baehrens cum *uirgam* pro *crinem* ponit[2].

Splendidum illud et graue ingenium praesertim in his locis ostenditur, in quibus Graeci poetae uestigia plane deserere ausus, nouas res inuenit ac pepigit. Sane Diodoro Siculo aliquid debet, qui Iasonis parentes narrauit a Pelia tyranno esse coactos sibi mortem consciscere; regis enim iussu Aeson tauri sanguinem haurit, filiusque eius Promachus a militibus occiditur; Iasonis uero mater, Amphinome (sic enim ab historico nominatur), ad ultimam desperationem adducta, in regis domo, prope aram, a Deis ultionem precatur et sibi pectus gladio transfigit[3]. Sed qua arte Valerius haec disposuit! Nihil usquam ad mouendum aptius uel quod maiorem horrorem incutiat; interdum tamen, dum horrenda illa

1. Val. *Argon.*, VIII, 68 sqq..., 92 sqq.

2. Cf. Valerii *Argon.*, ed. Thilo, VIII. 68 et notulas. « Errauit Heinsius cum C (codicem Carrionis) *circumque* habere dixit. Ipse *lumenque* proposuit *cirrumque* Weichertus coici posse dicit si quis uelit ingenio ludere. » — Rothstein, *Properz und Virgil, Hermes*, t. 24, p. 18. Hic Baehrensii coniecturam non probat, ad significationem uerbi *intendere* tantum se referens. Quare in Propertii poemate *Tu licet abiectus* (Ed. Müller, I, 14) legendum esse putat u. 5 *ut tendat*, pro *intendat*, quia hic uerbum quoddam ampliorem et largiorem sensum habens desideretur. Verbum igitur *intendere* et apud Propertium et apud Valerium delet, quod non adhiberi possit *für die einfache Bedeutung des Ausstreckens ohne bestimmtes Ziel*; si uerbum seruaretur integrum, *so würde in diesen Worten ein Hinweisen auf die Gestirne bezeichnet sein*. Haec autem omnia subtiliorem mentem designant.

3. Diodori Siculi *Bibl. hist.*, IV, 50, § 1-3. — Val. *Argon.*, I, 700-851.

describit, ultra quam poetae concedi potest progredi uidetur; nam cuncta hic fusca et lurida et quasi cruore conspersa apparent. Primum Pelias, ex quo abiit cum Iasone filius Acastus, ira exardescit, absentem iuuenem magnis clamoribus uocans; timet enim ne Iason perfidus ab honesto filio patris poenas repetat et breue post tempus, commenticium illud scelus ulciscendi cupiditate incensus, re uero ipsa odium suum satiaturus, Aesonis mortem meditatur. Hic autem cum Alcimede infernis Manibus sacra libans, ut futura fata aperiat, Crethei umbram e Stygia sede suscitat, quae praeclara de Iasone, funesta de filio suo Aesone uaticinatur.

> Sed tibi triste nefas, fraternaque turbidus arma
> Rex parat et saeuos irarum concipit ignes.
> Quin rapis hanc animam et famulos citus effugis artus?

Iam armorum fragore strepit regia domus, et, dum Alcimede ultimam uictimam taurum mactat[1], senex, uehementi oratione quam fortasse paulo longiorem iudices, Pelian exsecratur[2]; deinde, ut uoluntaria nece, ipsius Crethei consilio parentes, e miseriarum uinculis eximantur, ambo fortes ueneni pateram exhauriunt; tunc intrantes sicarii semineces Aesonem et Alcimeden et pauidum puerum inueniunt, uanusque eorum furor euadit.

> Fit fragor; irrumpunt foribus qui saeua ferebant
> Imperia et strictos iussis regalibus enses.
> In media iam morte senes suffectaque leto
> Lumina et undanti reuomentes ueste cruorem
> Conspiciunt; primoque rudem sub limine rerum
> Te, puer, et uisa pallentem morte parentum
> Diripiunt adduntque tuis. Procul horruit Aeson
> Excedens memoremque tulit sub nubibus umbram[3].

Non tamen semper ita ardenti et concitata oratione utitur; saepe miserandos dolores mitibus affectibus et uariis ornamentis temperat; misericordia plena est illa narratio qua congestum Cyzici rogum et barbaro luxu decoratum funus et mulierum uirorumque gemitus describit[4]. Teneros etiam fortesque sensus inter se conciliat, cum Hercules Hesionen a saeuo monstri dente eripit et ad Laomedontem patrem reducit. Omnia hic uel ad miserationem uel

---

1. Putamus Alcimeden « Thessalida » illam esse quam poeta saepius significauerit.

2. Huic operis parti Valerius non ultimam manum uidetur attulisse. Quam frustra Thilo emendare conatus est, ut ipse in praefatione confitetur. Eadem sentit Schenkl in Studien zu den *Argonautica*, p. 12. — At nos, etsi opus ad summum non perductum esse ex hoc ipso loco coici potest, non tamen existimamus uersibus 781-785 « rerum ordinem turbari ».

3. Val. *Argon.*, I, 819 sqq.

4. Id., III, 332 sqq.

ad iucunditatem uidentur esse composita : uirginis in alta rupe ad saxum alligatae gemitus et pallor et tristia ad Herculem uerba nescio quid habent dulcedinis et horroris. Conspicitur puella,

> Exanimum ueluti multa tamen arte coactum
> Maeret ebur, Pariusue notas et nomina sumit
> Cum lapis aut liquidi referunt miranda colores[1].....

At subito mutatur rerum species; nam e mediis fluctibus adsurgit belua, quam Hercules telis, mox ingenti scopulo ex imis radicibus euulso opprimit; tum uictoria exsultans, graui et leni passu ad parentes puellam reducit, dum circum rerum natura laetitia fremere uidetur.

Sunt autem alia dulci iucunditate et molli candore adumbrata. Quid memorem Hellen, mirantibus Argonautis, ex unda caput alleuantem et mandata eis ad Phrixum suum ferenda tradentem[2]? Sed nihil felicius inuenit quam cum Hylae imago Herculi in somno obuiam se dat, ut comitem et amicum, immo patrem consoletur; atque in pueri mente temperantur egregie et miscentur communis utrique laudis desiderium et diuini amoris Deorumque commercii gaudium quod Hercules breue post tempus ipse sit experturus.

> Ecce puer summa se tollere uisus ab unda
> Frondibus in croceis et iniquae munere Nymphae,
> Stansque super carum tales caput edere uoces :
> Quid, pater, in uanos absumis tempora questus[3]?.....

Artificiosa quidem est templi illius species, Phoebo dedicati, in quo Aeetes ius dicit et ciuium querellas audit et cuique ut aequum est tribuit. Illic splendent fores caelatae, in quibus tot praeclarae ueterum fabulae repraesentantur : adest Sesostris, uictus a Scytharum regionibus regressus, et post se ad Phasidis oras multos milites linquens, quos Colchicae gentis conditores fuisse ferebant Apollonius et Herodotus[4]; subiciuntur quoque oculis Phasidis et Aeae amores, et Phaethontis mors. At nihil artificiosius excogitari potest quam illae figurae quae non praeterita sed futura ostendunt; nec minus insigne illud est, quod Iasoni sua fata declarantur neque tamen ab eo intelleguntur. Sic non solum aere exprimuntur proficiscentes Argonautae, sed etiam Medea, munera quae sit Creusae datura componens, et flammis ardens Creusa quae nuper uenenosam

1. Val. *Argon.*, II, 465... Cf. 451-550.
2. Id., II, 585-614.
3. Id, IV, 22.
4. Apoll. *Argon.*, IV, 270 sqq. et *Schol.*, IV, 272, 276, 277. — Herodoti *Hist.*, II, 104.

pallam induit, et regia domus incensa, dum curru quem ducunt dracones euolat impune saga :

> .....Haec tum miracula Colchis
> Struxerat Ignipotens nondum noscentibus ille
> Quis labor, aligeris aut quae secet anguibus auras
> Caede madens[1].....

Videre igitur licet quam facile ab Apollonio discedat et uere genuina promat. In depingendis rebus, praesertim in describendo rure uere sui propriam artem adhibuit. Quod iam notauimus, quid apud Apollonium neglexerit significantes. Plus enim Valerius habet uirium quam subtilitatis, et acrior est quam iucundior. Ab usus domestici rebus abhorret, nihil aliud magis quam graue et saepe affectatum dicendi genus requirens; sed ubi potest conuenienter et opportune ualidos sensus et praeclara fortiaque facinora ad mouendos animos depingere, nemini prope cedere uidetur. Eadem arte utitur, si rerum naturam describit; non enim quae uidet aptissime adumbrat, nec, ut ita dicam, ante oculos proponit, neque ita subtilibus lineis speciem quandam circumcludit ut haec ipsa mera emineat et illustretur, sed ea tantum eligit quae copiosam materiam praestent et ingenii lumina arcessere uideantur. Quare, non ut Apollonius, solem depingit ad medium cursum progressum et saxorum umbras maiores in campo procurrentes.

> ἦμος δ' ἠέλιος σταθερὸν παραμείβεται ἦμαρ,
> αἱ δὲ νέον σκοπέλοισιν ὑποσκιόωνται ἄρουραι,
> δειελινὸν κλίνοντος ὑπὸ ζόφον ἠελίοιο[2].

Nusquam apud Romanum poetam fluctus, Zephyro adflante, leniter succussi[3], neque puluerulentae semitae prima luce in uiridi campo albescentes[4], neque unda stridenti sonitu in aeream urnam praecipitans[5], neque illud tempus quo, nocte discussa, dies tamen ipse nondum lucet[6]. Non sane illos uersus aequare conatus est, quibus Apollonius totam Thraciam cum litore et insulis et fluuiis e summo monte Argonautarum oculis late patentem descripserat[7]. Haec est imago exactis lineis apte circumscripta. Valerius contra ea tantum obseruare et depingere uoluit quibus ipse mouebatur et quae in legentis animo ingentes sensus excitarent. Qualis est illa procella quam uehementer effinxit.

---

1. Val. *Argon.*, V, 452. Cf. 407-455.
2. Apoll. *Argon.*, I, 450 sqq.
3. Id., I, 521.
   ἐκ δ' ἀνέμοιο
   εὐδίοις ἐκλύζοντο τινασσομένης ἁλὸς ἄκραι.
4. Id., I, 545.
5. Id., I, 1234-1237.
6. Id., II, 671.
7. Id., I, 1112.

.....Fundunt se carcere laeti
Thraces equi Zephyrusque et nocti concolor alas
Nimborum cum prole Notus, crinemque procellis
Hispidus et multa flauus caput Eurus harena;
Induxere hiemem raucoque ad litora tractu
Unanimi freta curua ferunt, nec sola tridentis
Regna mouent; uasto pariter ruit igneus aether
Cum tonitru piceoque premit nox omnia caelo[1].

Hic caecam naturae uim ita pinxit quasi uiueret atque uariis impetibus et, ut ita dicam, sensibus concitaretur. Neque semel turbatum mare expressit; nam in secundo libro inest quaedam procellae species quae nullo modo non cum hac altera comparanda est.

Pliada lege poli nimboso mouerat astro
Iuppiter aeternum uoluens opus, et simul undis
Cuncta ruunt unoque Dei Pangaea sub ictu
Gargaraque et maesti steterunt formidine luci.
...Insequitur niger et magnis cum fratribus Eurus
Intonat Aegaeo tenditque ad litora pontus[2].

Sed hic potius de continua hieme agitur, quae Hypsipyles et Iasonis amoribus fauet quam de procella subito erumpente. Ita cum poeta materiam iam tractatam de integro sumit, nihil antiquius habet quam res uariare et alia mente disponere.

Eandem hanc artem in aliis locis reperias ubi res clariore luce illustrantur. Semper ita pingit ut mentes potius moueat et animi sui motus exprimat quam ueram formam uerosque colores oculis subiciat. Cuius « romanticae », ut ita dicam criticorum nostrorum uerbo usus et ad franco-gallicas litteras similitudine respiciens, nobis uidentur esse descriptiones. Ad exempla quae nuper protulimus, multa alia per totum opus dispersa addere licet. His uerbis Vulcani officina significatur :

Ventum erat ad rupem, cuius pendentia nigris
Fumant saxa iugis coquiturque uaporibus aer[3].

Cum uero pro Hesione ad marinae beluae caedem accingitur Hercules, sic loci maestitia pingitur :

Auxerat haec locus et facies maestissima capti
Litoris, et tumuli caelumque quod incubat urbi[4].

---

1. Val. *Argon.*, I, 610 sqq.
2. Id., II, 357... 365 sqq.
3. Id., II, 332.
4. Id., II, 493.

At sub uesperum Phasidis ripas attingunt Argonautae.

> Sol propius flammabat aquas extremaque fessis
> Coeperat optatos iam lux ostendere Colchos[1].

Non sane alia est ratio qua uariae cuiusque regionis speciem exprimit ab heroibus in transcursu conspectae; de hoc iam satis ample diximus, nec tamen superuacuum putamus memorare quo modo Argus nauis structuram descripserit. Non enim, ut Apollonius, architecti et opificum consilium et laborem mira scientia explicat, neque significat qua ratione nauis illa singulis partibus aedificata, deinde perfecta sit, sed ex tot rebus eas eligit quae facile poetico colore imbui possint. At uere notatione dignae sunt illae figurae, artificiosa Palladis manu in nauis lateribus pictae, quibus maritimorum Deorum fabulae et Pelei, unius ex Argonautis, et Aesonis ipsius facinora illustrantur. E uera quadam tabula illa Galatea surgere uidetur.

> Hic insperatos Tyrrheni tergore piscis
> Peleos in thalamos uehitur Thetis; aequora delphin
> Corripit; illa sedet deiecta in lumina palla,
> Nec Ioue maiorem nasci suspirat Achillen.
> Hanc Panope Dotoque soror laetataque fluctu
> Prosequitur nudis pariter Galatea lacertis,
> Antra petens; Siculo reuocat de litore Cyclops[2].

Sed Valerii ingenium propius introspicere libet. Ille enim res et homines non alia prorsus mente quam artifices, seu pingendi, seu caelandi artis periti, immo ut quidque in se genus illud pulchritudinis habebat, uidetur praecipue obseruauisse; coicimus igitur eum sub oculis uel in animo plura opera mirabili arte perfecta habuisse, quae in excogitando et scribendo imitaretur. Saepe enim uersuum ipse color et rerum descriptarum forma hoc uidentur declarare. Nonne Iason ipse statuam, quae Phasidis fluminis Deum repraesentet, sibi mente proponit, eiusque summas lineas adumbrat?

> Tunc tibi, fecundi proles Iouis.....
> .....ueneranda fluentis
> Effigies te, Phasi, manet, quam magnus Enipeus
> Et pater aurato quantus iacet Inachus antro[3].

Plura ex his argumentis quae nuper memorauimus, libenter dicas e pictura quadam aut ornato uase aut marmoreo uel aereo signo

---

1. Val. *Argon.*, V, 177.
2. Id., I, 130-137.
3. Id., V, 208.

aut anaglyptis esse deprompta. Talis est Phaleri clipeus in quo conspicitur draconis imago circumplexu heroem infantem ambientis[1]. Talis quoque Venus Lemnias ad caedem concitans.

> Ipsa Venus quassans undantem turbine pinum
> Agglomerat tenebras pugnaeque accincta trementem
> Desilit in Lemnon ; nimbis et luce fragosa
> Prosequitur polus et tonitru pater auget honoro[2].

Sunt etiam quaedam, ubi saeuam Ius, Inachi filiae, fortunam narrat, quae ab artifice iam antea picta uel insculpta esse uideantur. Nonne pictus erat Argus ille, quem ita designat poeta?

> ..... Custos Argus placet, inscia somni
> Lumina non aliter toto cui uertice, quam si
> Lyda nurus sparso telas maculauerit ostro[3].

Nonne gestus ille Nympharum, raptam uirginem reuocantium artificis cuiusdam manum testatur?

> Fleuit Amymone, flerunt Messeides undae,
> Fleuit et effusis reuocans Hyperia lacertis[4].

Fortasse a pictore telum illud mutuatus est, quod ad Phlegyae taedam uolans accenditur et in ignes uirum morientem deicit.

> ..... ruit ille comanti
> Ore facem supra, maiorque apparuit ignis[5].

Sed nihil aliud in hoc significantius esse potest quam illa Herculis Prometheum liberantis species ; hic motus nescio quid habent quod pingendi artem redolet. Stat extensis lacertis Hercules, uires suas ostentans, magnam gestu dignitatem praeferens, et in tabulae recessu immania saxa emergunt.

> .....Iamque aspera nisu
> Undique conuellens ueteris cum strage pruinae
> Vincula prensa manu saxis abduxerat imis
> Arduus et *laeuo grauior pede ;* consonat ingens
> Caucasus, et summo pariter cum monte secutae
> Incubuere trabes abductaque flumina ponto[6].

Postremo, ad marmoris cuiusdam laudati et celebrati exemplum

---

1. Val. *Argon.*, I, 398-402.
2. Id., II, 196.
3. Id., IV, 367.
4. Id., IV, 374.
5. Id., III, 136.
6. Id., V, 157 sqq.

uidetur effinxisse signum illud Helles quod spirare dicas, prope Phrixi tumulum in Phasidis ripa erectum.

> .....Infelix Pario de marmore iuxta
> Stat soror, hinc saeuae formidine maesta nouercae,
> Inde maris, pecudique timens imponere palmas[1].

Illic dubitari potest utrum ingenium suum an artificum exempla secutus sit. Quaedam autem argumenta elegit quae in operibus, siue pictis, siue incisis reperimus. In Iasonis pallio conspicitur Ganymedes, aquilae calicem offerens.

> .....Quin et Iouis armiger ipse
> Accipit a Phrygio iam pocula blanda ministro[2].

At Ganymedes cum aquila bibente saepius in Pompeianae uillae pariete pictus est[3] et in lapide incisus est[4]. Cum Orpheus aurei arietis iter canit, Hellen depingit fluctibus obrutam et ad fratrem frustra bracchia tendentem.

> Quis tibi, Phrixe, dolor, rapido cum concitus aestu
> Respiceres miserae clamantia uirginis ora,
> Extremasque manus sparsosque per aequora crines[5].

Eadem autem illa puella in Campaniensi quadam pictura effingitur passis crinibus et aegre super undas manus et caput extollens, dum Phrixus arieti insidens ad sororem dextram porrigit[6]. Illud quoque pauimentum quod in uilla dicta *Albani* Romae adhuc conspici potest, Hesiones ab Hercule liberatae imaginem ea arte praebet expressam ad quam accedere uidetur Valerius; quod argumentum saepe ab artificibus electum fuerat et Antiphilo pictori, Apellis aemulo, ingentem laudem attulerat[7]. Cum etiam poeta Phaethontem e caelo decidentem induceret, non poterat non tabulam aliquam pictam ante oculos habere; nam plura deprehendas haud dissimilia apud Valerium et Philostratum artificis cuiusdam opus describentem.

> Flebant populeae iuuenem Phaethonta sorores,
> Ater et Eridani trepidum globus ibat in amnem;
> At iuga uix Tethys sparsumque recolligit axem
> Et formidantem patrios Pyroenta dolores[8].

---

1. Val. *Argon*, V, 187.

2. Id., II, 416-418.

3. V. Helbig, *Wandgemälde der vom Vesuv verschütteten Städte Campaniens*, n. 158. Leipzig. 1868.

4. *Catalogue de la Bibliothèque impériale*, n. 1430.

5. Val. *Argon.*, I, 291.

6. Helbig, *Wandgemälde Campaniens*, n. 1251-1257.

7. Helbig, *Die öffentlichen Sammlungen klassischer Alterthümer in Rom*, t. II; *Villa Albani*, n. 841. — De Antiphilo uide Plinium, *Natur. hist.*, XXXV, 114.

8. Valerii *Argon.*, V, 429 sqq. Cf. Philostrati εἰκόνες, XI, *Phaethon*.

Ad illum enim globum, qui nihil aliud est quam miser ille iuuenis incensus et fumo atque igne obuolutus, referri possunt illa Philostrati uerba quae Valerii uersus quodammodo explicant. Ἐκπίπτει δὲ τὸ μειράκιον καὶ καταφέρεται, τήν τε γὰρ κόμην ἐμπέπρησται καὶ τὰ στέρνα ὑποτύφεται ποταμῷ τε Ἠριδανῷ ἐμπεσεῖται... *Populeae* autem *sorores* diligentius et fusius a Philostrato depinguntur: τὰ δὲ ἐπὶ τῇ ὄχθῃ γυναῖα, αἳ οὔπω... δένδρα, φασὶ τὰς Ἡλιάδας ἐπὶ τῷ ἀδελφῷ μεταφῦναι καὶ ἐς δένδρα λῆξαι δάκρυά τε ἀφιέναι... Si uero descriptionem illam cum uersibus ubi Apollonius eadem memorauit, contuleris, senties quantum inter utrumque intercedat, et Valerium ac Philostratum de diuersis fontibus hausisse suspicaberis[1].

Denique Medeae atrocia facinora quae Valerius in Aeetae templo summo colore illustrauit, a multis antiquis artificibus figurata sunt. Sic in amphora quadam Neapolitana Medea de Creusa supplicium sumens pingitur[2]. In uase autem alio, cui Monacense nomen est, Creusae mors et Medeae fuga repraesentantur[3]. At omnia illa artificiosius in sepulchrorum quorundam Romanorum lapide incisa sunt; hic enim Medea ad Creusam dona ferentes pueros suos mittit; deinde Creusa, ut uelum illud induit, saeuo dolore anxia et subtili igne cruciata, ceruicem retro deflectit, dextrum genu leuans, laeuum autem geniali lecto imponens; nec procul a puella adsunt attonitus pater et Iason, cuius uultus, artificis sane uitio, placidiores sensus exhibet[4].

Si poetae igitur mens cum pingendi uel fingendi uel caelandi arte quodammodo congruere uidetur, potius hoc existimamus certo consilio fidelique operum adsidue conspectorum memoriae quam ipsi ingenio, ad tale dicendi genus natura inclinanti, attribuendum, sed nullis terminis liberam poetae excogitationem circumcludere decet, quem consentaneum est artificum opera sponte retractauisse et ad speciem illam quam secum in animo gerebat, redegisse[5].

---

1. Apoll. *Argon.*, IV, 592 sqq.

2. *Scenen Euripideischer Tragödien in griechischen Vasengemälden.* Julius Vogel, Leipzig, 1886. — Amphora illa Canossae exarata fuit, n. 79.

3. Id. Vas illud Canossae quoque exaratum fuit, n. 146. — Cf. Roscher. *Lexicon der griech. und röm. Myth.*, II², p. 2511. — Sub uerbo : *Medeia.*

4. Baumeistre, *Denkmäler.* Sub uerbo : *Medeia*, p. 906, fig. 982.

5. P. Langen, *Index lectionum in Academia Monasteriensi per menses aestiuos anni 1894*, de dispositione figurarum quas Valerius I, 130-148, II, 409 sqq., V, 416 sqq. induxit, subtiliter et paululum aridius disputauit. Operam aliquantum perdit cum rem luce clariorem demonstrat, scilicet Valerium in his tabulis describendis non tantum artificem sed etiam poetam exstitisse, et ita res pinxisse ut non solum oculis subici, uerum etiam auribus uel aliquo alio sensu percipi posse uiderentur.

VII

De comparationum usu.

Una praecipue est res qua non solum Valerii ingenium aperte significatur, sed etiam aestimare licet quantum ab Apollonio differat: scilicet comparationum usus. Primum enim nihil est quo uariae scriptorum uirtutes et uitia clarius conspiciantur quam ars illa res natura diuersas inter se conferendi. Quod de uetustissimis poetis sane uerius est; etenim illi, quia quod narrabant illustrare et ad omnes mentes accommodare magnamque dicendi perspicuitatem (ἐνάργειαν) adsequi conabantur, illarum figurarum materiam de rebus communibus et quas bene nouerant depromere solebant[1]. Sed aliud quoque apud eos erat consilium; cuique etiam placebat narrationem uariare et totius operis textui ornamenta quae aliunde deducta eminerent superaddere. Ibi autem liberius ingenio suo indulgebant, hanc summae pulchritudinis speciem quam secum in animo habebant, et hos sensus, siue graves, siue mites, quibus natura utebantur, atque, ut ita dicam, intimam sui partem aliquantisper praetendentes.

Haec pariter, quamquam aliquanto minus, apud recentiores obseruare licet. Ita fit ut illic quoque Valerius et Apollonius inter se multum uideantur discrepare. Nam hic plerumque in excogitando ac dicendo subtilem elegantiam et ueritatem adsecutus, plerasque imagines ex agrestibus laboribus et uaria ruris amoenitate desumpsit: ubique nitet egregius lepos; sic cum apibus in prato uolitantibus conferuntur Lemniae ad Argonautas festinantes[2]; ut columbas accipiter, ita Dolionas Argonautae fugant[3]; qualis taurus ab oestro offensus, Hercules, Hylan uocans et maerore perditus, saeuo furore uersatur[4]. Eadem fere ratione, cum fame prope conficiuntur Argonautae, ad Syrtium litus aduerso uento eiecti, Medeae

1 Quod bene explicauit Bussenius in dissertatione *De Valerii Flacci in adhibendis comparationibus usu*. Lubeck, 1872. Sed errat cum ad solam utilitatem et intellectu faciliora praestandi uoluntatem poetarum consilium redigere conatur.

2. Apoll. *Argon.*, I, 879.

3. Id., I, 1049,

4 Id., I, 1265

puellaeque eius aequales in harena iacentes et flebili uoce querentes e poetae animo paruarum auium imaginem eliciunt, quae postquam de scopulo ceciderunt, non euolare possunt; inde alteram similitudinem subiungit, de cycnis, Pactoli accolis, quorum cantu prata resonant[1]. Talus quoque gigas qui pede laeso aliquantisper commoratur dum grauiter in terram incumbit, ei uidetur altae pino similis, cuius truncum a lignariis iam succisum, mox neglectum demittit turbida procella[2]. Haec omnia ruris amorem designant et dulces colonorum pastorumque mores egregie depingunt; ita enim fingitur illius poetae mens ut similitudine libenter acres sensus grauesque res ad molles et amoenas imagines deducat. Sunt quidem, inter illas figuras, quae maiorem uim exhibeant; hic lupi, fame pulsi, describuntur territas oues turbantes[3], illic canes ueloci cursu capras uel ceruas exagitantes[4].

Denique ad rerum naturam saepe respicit, cum Iasonem aequat siue ardenti stellae quam Nymphae supra casas ascendentem quadam oculorum et animi uoluptate contemplantur[5], siue celeriter transuolanti stellae quae post se longum et splendentem tractum relinquit[6]. Semel etiam leonis fremitu territos accolas et resultantes montes expressit, cum Iason fame et labore confectos socios in solitudinibus firma uoce suscitat[7]. Saepius uero ad domesticas consuetudines se confert ac molli subtilique stilo Alcimeden dolentem cum puella parentibus orba comparat, quae nouercae iniurias patitur et annos tristitia consumit[8]; Medeam ipsam captiuae cuidam patria et domo et parentibus carenti similem ducit[9]. Quid elegantes illos uersus memorem qui tam festiue Iasonem depingunt uellere radiante sic delectatum ut puella pallium sub luna splendens huc illuc laeta uersat[10]? Quid? cum turbata mens Medeae poetae uidetur quasi aheni uasis aqua, radios aduersos remittens, rapidosque gyros undique in pariete uel lacunari describens.

πυκνὰ δέ οἱ κραδίῃ στηθέων ἔντοσθεν ἔθυιεν.
ἠελίου ὡς τίς τε δόμοις ἐνιπάλλεται αἴγλη
ὕδατος ἐξανιοῦσα, τό δὴ νέον ἠὲ λέβητι,
ἠέ που ἐν γαυλῷ κέχυται· ἡ δ' ἔνθα καὶ ἔνθα
ὠκείῃ στροφάλιγγι τινάσσεται ἀΐσσουσα,
ὣς δὲ καὶ ἐν στήθεσσι κέαρ ἐλελίζετο κούρης[11].

Sic Graeci poetae ingenium ad tenuem elegantiam natura ipsa

1. Apoll. *Argon.*, IV., 1296.
2. Id., IV, 1680.
3. Id., II, 125.
4. Id., II, 278.
5. Id. I, 774.
6. Id., III, 1376.
7. Id., IV, 1335.
8. Id., I, 268.
9. Id., IV, 35.
10. Id., IV, 167.
11. Id., III, 754.

uidetur esse propensum, neque ille ad excelsa quodam animi impetu euehitur, sed semper apto dicendi genere utitur; nec tamen eo quicquam poematis dignitatem minuit, nam, cum uera pingere uelit, superuacuum esse putat rebus fucatum colorem inducere; ornamentis quae addit naturae ipsius speciem obtendit.

Plus uirium in dicendo designat Valerius, etiam cum ad rusticos uel domesticos usus respicit; semper enim tumido et elato ingenio tollitur. Quare non multa ab Apollonio est mutuatus. Cum tamen aliquid apud Apollonium reperit cui splendorem quendam inicere possit, id non dubitat recipere. Sed iam uidimus quam dissimili arte eandem illam Pollucis cum Amyco certantis et nautae cuiusdam fluctuum uim prudenter fallentis speciem expressissent [1]; melius ille fluctuum formam depingebat, hic gubernatoris conatus; at uerior uidebatur esse Graecus poeta, Latinus autem grauior. Meminit quoque Valerius Apollonium e Medea et Iasone, inter se amorem mutuum confitentibus, duarum arborum primo Zephyri flatu succussarum imaginem deduxisse.

τὼ δ' ἄνεῳ καὶ ἄναυδοι ἐφέστασαν ἀλλήλοισιν,
ἢ δρυσίν, ἢ μακρῇσιν ἐειδόμενοι ἐλάτῃσιν,
αἵτε παράσσον ἔκηλοι ἐν οὔρεσιν ἐρρίζωνται,
νηνεμίῃ· μετὰ δ' αὖτις ὑπὸ ῥιπῆς ἀνέμοιο
κινύμεναι ὁμάδησαν ἀπείριτον· ὣς ἄρα τώγε
μέλλον ἅλις φθέγξασθαι ὑπὸ πνοιῇσιν Ἔρωτος [2].

Aura illa amoris ingeniose uidetur excogitata; sed poeta, ingenti animi dulcedine praeditus, cum hos flatus denuntiat, minus ad perditum illum Medeae et Iasonis amorem spectat quam ad nascentes affectus et benigna uerba quae sunt inter se habituri. Valerius contra non primum illum innoxiae cupidinis aculeum designat, sed futuris calamitatibus et imminenti tempestati quietos et dulces sensus opponit.

Haud secus in mediis noctis nemorisque tenebris
Inciderant ambo attoniti iuxtaque subibant,
Abietibus tacitis aut immotis cyparissis
Adsimiles, rapidus nondum quas miscuit auster [4].

Versus quoque alii qui procellam et fulgura e nubibus erumpentia exprimunt a Valerio integri fere deducti sunt; apud Apollonium

---

1. Val. *Argon.*, IV, 268 sqq. — Apoll. *Argon.*, II, 70 sqq.
2. Apoll. *Argon.*, III, 966 sqq.
3. Val. *Argon.*, VII, 403-407.

Iason armatus ad Martium agrum est incessurus, clipeum agitans qui longe effulget.

φαίης κεν ζοφεροῖο κατ' αἰθέρος ἀίσσουσαν
χειμερίην στεροπὴν θαμινὸν μεταπαιφάσσεσθαι
ἐκ νεφέων, ὅτ' ἔπειτα μελάντατον ὄμβρον ἄγωνται[1].

At Valerius in alio loco hanc imaginem effinxit, ubi Iasonem cum tauro luctantem narrauit; cum autem illic uehementissimos affectus pingeret, libere poterat res amplificare et ornare; inde fit ut ingentem Iouis figuram inter ardentis caeli ignes et immissos uentos ostendat:

Ac uelut ex una siquando nube corusci
Ira Iouis torsit geminos mortalibus ignes,
Aut duo cum pariter ruperunt uincula uenti
Dantque fugam; sic tunc claustris euasit uterque
Taurus et immani proflauit turbine flammas
Arduus atque atro uoluens incendia fluctu[2].

Nonne hic Valerius in adhibenda illa comparatione Apollonium superauit? Eandem hanc res ornandi artem alias reperire licet. Cum Iason ad aureum uellus accedens fuluo illo splendore repercusso fulget, Apollonio in mente surgit solis occidentis, Valerio autem nubium Aurorae luce accensarum imago; atque adeo orientem diem sub Deae ipsius figura exprimit.

τὼ δὲ δι' ἀτραπιτοῖο μεθ' ἱερὸν ἄλσος ἵκοντο,
φηγὸν ἀπειρεσίην διζημένω, ἦ ἔπι κῶας
βέβλητο, νεφέλῃ ἐναλίγκιον, ἤτ' ἀνιόντος
ἠελίου φλογερῇσιν ἐρεύθεται ἀκτίνεσσιν[3].....

.....Dictis fidens Cretheia proles
Calcat et aeriam quamuis perfertur ad ornum,
Cuius adhuc rutilam seruabant bracchia pellem
Nubibus accensis similem, aut cum ueste recincta
Labitur ardenti Thaumantias obuia Phoebo[4].

Denique, cum hic poeta complures Argonautas inducit de obtinendo gubernatoris periculoso ministerio certantes, Erginum a sociis electum his uerbis ostendit:

Ac uelut ille, gregis cessit cui regia, taurus
Fertur ouans; hunc omnis honos, hunc omnis in unum
Transit amor; primo laetus sic tempore rector
Ingreditur cursus[5];

---

1. Apoll. *Argon.*, III, 1264 sqq.
2. Val. *Argon.*, VII, 567 sqq.
3. Apoll. *Argon.*, IV, 123 sqq.
4. Val. *Argon.*, VIII, 112 sqq.
5. Id., V, 67.

tunc fortasse hos Apollonii uersus meminit, Pollucis et Amyci certamen depingentis:

> ἄψ δ' αὖθις συνόρουσαν ἐναντίοι, ἠύτε ταύρω
> φορβάδος ἀμφὶ βοὸς κεκοτηότε δηριάασθον[1].

Sed hic apparet quam artificiose Valerius ad ornandam et amplificandam materiam plura immutauerit atque ea retinuerit quae ad taurum non iam luctantem sed uictorem aptari possent. Hic quod imitabatur uere sui proprium reddidit.

Siue igitur res narrat, siue narratas comparationum usu illustrat, semper eandem artem exhibet ualidam et amplam et splendidam, quod est eius mentis naturae peculiare; delectare quoque et mouere in animo habet, cum ipsas res describit a cotidiana uitae consuetudine haud abhorrentes. Saepe de uariis hominum sensibus promuntur similitudines: sic Argonautae morientem Tiphyn lugent quales pueri patrem.

> Qualem praecipiti grauidum iam sorte parentem
> Natorum flet parua manus trepidique precantur,
> Duret ut inualidis et adhuc genitoris egenis;
> Haud aliter socii supremo in tempore Tiphyn
> Ante alios superesse uolunt[2].....

Eadem ratione Iason, crudelia regis Aeetae iussa audiens, cum nauta confertur qui, dum portum fere subit, rursus in altum reicitur.

> Non ita Tyrrhenus stupet Ioniusque magister,
> Qui iam te, Tiberine, tuens claramque serena
> Arce Pharon, praeceps subito, nusquam ostia, nusquam
> Ausoniam uidet, at saeuas accedere Syrtes[3].

Rusticae quoque imagines non ita rarae; quae non minus grauitatis quam amoenitatis habent. Hic describuntur aues, procellam

---

1. Apoll. *Argon.*, II, 88.

2. Val. *Argon.*, V, 22 sqq.

3. Id., VII, 83 sqq. Hoc dicendi genus sane abruptum et putidum uidetur, nec tamen splendida ui caret. Nos autem putamus seruari posse codicis Vaticani 3277 lectionem emendatam: *Qui iam te liberinetues* (sic). Cf. Monacensem: *Qui iam te liberi metues* (sic). — Neque uero opus est, Thilo auctore, inter uerba *praeceps* et *subito* lacunam quandam significare; qui quidem affirmat hic poetam *quo uento quaque uia nauis acta esset* declarare debuisse. Sed cum hi praecipui codices inter se plane consentire uideantur, nulla est ratio cur non magnam fidem eis adhibendam esse existimemus. — At reici potest: *Qui portus, Tiberine tuos* C, quia Thilo demonstrauit illum Carrionis codicem aliis paulo inferiorem esse et saepius a doctis, immo doctioribus uiris olim esse retractatum. (Vide editionis praefationem, II.) — Eadem fere putat Schenkl (*op. laud.*, p. 28), quamquam falso *raptus* uel *actus* huic uerbo *subito* substituit et *Ioniusue* legit (id., p. 78). — *Claramque* (*clarum*, mss) *serena arce Pharon* uidetur illam turrim ad ostium Tiberis a Claudio exstructam designare (Vide Suetonium, *Claudius*, 20). Hoc autem epitheton *serena* eleganter potius ad nautae sensus, puram illam et large diffusam et salutarem lucem contemplantis, quam ad arcem ipsam referri debet. In quo praecipue Wagnerus sagax fuit interpres, quamquam uersus male constituerat, Lemaire autem errauit (Vide t. II, Notas, p. 148). — Quicquid id est, Valerii sententia, summatim inspecta, non obscura est. Libenter autem coiciamus haec uerba *Tyrrhenus Ioniusque* qua regione nauis ad Tiberina ostia nauigauerit nimis exquisite et subtiliter indicare.

praesentientes et ad ramos confugientes ; nempe Venus et Medea, in moenibus, dum proelia conspiciunt et litui clangorem auribus percipiunt horrent,

> Quales instanti nimborum frigore maestae
> Succedunt ramis haerentque pauore uolucres[1].

Illic Medea cum pauida columba comparatur quae pro accipitre fugiens, quo properet, timore perculsa nescit.

> Ecce autem pauidae uirgo de more columbae
> Quae super ingenti circumdata praepetis umbra
> In quemcumque tremens hominem cadit ; haud secus illa
> Acta timore graui mediam se misit[2].....

Nos ita mouemur magis quam delectamur. Grauitate quoque et lepore plena illa similitudo Veneris Medeam manu arripientis et auis pullorum primos uolatus sedulo obseruantis.

> Qualis adhuc teneros supremum pallida fetus
> Mater ab excelso produxit in aera nido,
> Hortaturque sequi breuibusque insurgere pinnis,
> Illos caerulei primus ferit horror Olympi,
> Iamque redire rogant adsuetaque quaeritur arbor ;
> Haud aliter caecae per moenia deficit urbis
> Incedens horretque domos Medea silentes[3].

Semper ad excelsos et concitatos affectus euehitur ; furenti leoni in densa acie similis apparet Iason[4] ; alias canis, rabie imminente, ultimum eri penates lustrat[5]. Sed nusquam felicius ingenio suo est obsecutus quam cum Herculem, de Hyla rapto gemitus effundentem, et halcyonem pullos in fluctum immersos querentem depinxit.

> Fluctus ab undisoni ceu forte crepidine saxi
> Cum rapit halcyones miserae fetumque laremque,
> It super aegra parens queriturque tumentibus undis
> Certa sequi quocumque ferant, audetque pauetque,
> Icta fatiscit aquis donec domus haustaque fluctu est :
> Illa dolens uocem dedit et se sustulit alis[6].

Hic Valerius uere noua, uere genuina effudit.

Raro e rerum natura dulces imagines deducit ; qualem Medeam exprimit, aurora post insomnem noctem recreatam, segeti similem, cuius aristae fecunda pluuia eriguntur.

1. Val. *Argon.*, VI, 505.
2. Id., VIII, 32 sqq.
3. Id., VII, 375.
4. Id., VI, 615 sqq.
5. Id., VII, 124 sqq.
6. Id., IV, 44 sqq.

Nec minus insomnem lux orta refecit amantem
Quam cum languentes leuis erigit imber aristas[1].

Sed ad hunc fontem libenter accedit, si magna et elata et uehementia secum in animo gerit. Tum frementem in silua frondem, imminente hieme[2], tum ab Aquilone euersam oleam pingit[3], seu de furente Medea, seu de occiso Myrace agitur. Non aliter Iason, in campo fortissime proelians poetam in adumbrandam hanc speciem Naturae summam uim exhibentis et toto furore solutae impellit.

Acer ut autumni canis, iratoque uocati
Ab Ioue fatales ad regna iniusta cometae.....
Quantus ubi ipse gelu magnoque incanuit imbre
Caucasus et summas abiit hibernus in Arctos[4].

Hic Naturae splendida maiestas et incitatae uires herois magnitudinem egregie illustrant.

Itaque nusquam fere ad rusticos labores respicit, nisi cuiusuis acris affectus quandam imaginem praestant; pulchra, ut exemplo utar, lignarii quercum euertentis species:

Ac ueluti magna iuuenum cum densa securi
Silua labat cuneisque gemit graue robur adactis,
Iamque abies piceaeque ruunt, sic dura sub ictu
Ossa uirum malaeque sonant sparsusque cerebro
Albet ager[5].....

Multa etiam ex arte uenatica sumit; nam cum Ariasmeni falcati currus, Pallade aegida quatiente, subito in ducis ipsius copias reuertentes, omnia demetunt et equorum bellatorumque corpora truncant, aptissima poetae uidetur ceruorum imago quorum cornua frondosis dumis impediuntur, in ramis haerentia:

.....Implicitos miseraque in peste reuinctos
Confodiunt, ac forma necis non altera surgit
Quam ceruos ubi non Umbro uenator edaci
Non pinna petit, haerentes sed cornibus altis
Inuenit et caeca constrictos excipit ira[6].

Ad hoc rerum genus refertur grauis illa descriptio uenatoris paruas tigres uiolenter rapientis; qualis est nauis remigum impetu propulsa.

---

1. Val. *Argon.*, VII, 23, 24.
2. Id., VI, 664.
3. Id., VI, 711 sqq.
4. Id., VI, 606... 611 sqq.
5. Id., III, 163 sqq.
6. Id. VI, 418 sqq.

.....Haud aliter saltus, uastataque pernix
Venator cum lustra fugit dominoque timentem
Urget equum, teneras compressus pectore tigres,
Quas astu rapuit pauido ; dum saeua relictis
Mater in aduerso catulis uenatur Amano [1].

Saepe, cum ad summam dicendi contentionem impellitur, ex heroicis fabulis imagines ducit ; in quo se demonstrat magno litterarum flumine imbutum et in diuersissimarum huius generis rerum cognitionem penitus intrauisse ; sed eruditione ista tamquam ornamentis utitur neque eam tanti aestimat quanti Apollonius. Sic Iasonem cum Endymione confert ; hoc sane ab Apollonio detorsit qui Phoeben finxerat amantes deridentem et sibi ipsam gratulantem quod non sola Amori cederet ; sed quanta arte quod tantummodo elegans et facetum erat extulit ! Immo, rem totam immutauit.

Qualis adhuc sparsis comitum per lustra cateruis
Latmius aestiua residet uenator in umbra,
Dignus amore Deae, uelatis cornibus et iam
Luna uenit ; roseo talis per nubila ductor
Implet honore nemus talemque exspectat amantem [2].

Denique Dei uel herois cuiusdam imaginem interdum suscitat ; Marti quiescenti pares facit Pollucem et Amycum, in medio certamine animos reparantes [3] ; Typhoeo temere in Olympum inuadenti adsimulatur Amycus, atque haec res fusius descripta antiquissimo Titanum saeculo magnitudine uidetur esse par ; non enim citra ipsam similitudinem contrahitur poetae ingenium, sed late diffunditur.

Non aliter iam regna poli, iam capta Typhoeus
Astra ferens, Bacchum ante acies primamque Deorum
Pallada et oppositos doluit sibi uirginis angues [4].

Ita Typhonis et Hecates et Ius et Cybeles et Inus et Icari Daedalique et multorum aliorum nomina adsidue in eius uersibus praelucent [5]. Inde fit ut Valerii animus in amplum et splendidum dicendi genus exeat et magnifice potius exundet quam intra rei ipsius describendae terminos circumscribatur.

1. Val. *Argon.*, I, 489 sqq. — Cf. VI, 147, et Melae *De situ orbis* opus ex quo Valerius plura deprompsit. Vide supra cap. III, p. 20.

2. Id., VIII, 27-32. — Cf. Apoll., IV, 54 sqq.

3. Id., IV, 279.

4. Id., IV, 236.

5. Id., III, 130, VI, 112 ; VII, 111, 635 VIII, 21 ; I, 704.

VIII

De orationum usu.

Valerius frequenter in carmen suum orationes inserit, rhetorico lepore refertas, quippe qui scribendi artis sit peritissimus et natura elata et splendida requirat et uehementes sensus mouere uelit. Saepius igitur apud eum heroes inter se colloquuntur ; nihil quidem elegantius, nihil acrius excogitari potest, sed ut illic poeta omnes personas induit uariosque affectus pinxit, ita grauia potissimum affectauit ; immo in hoc dicendi genus tumidum et incitatum saepe incubuit, quod ab huiusce aetatis rhetoribus usurpabatur. Hoc multum ab Apollonio differt; qui raras et simplices orationes interdum produxit ; apud hunc enim Iason et Medea in mutuis sermonibus, et uaticinans Glaucus et Phineus, siue queritur siue futura praedicit, et Cypris atque Iuno inter se congredientes, denique in tertio libro Argus et Iason ante regem orantes eodem dicendi genere utuntur quod non multum a cotidiana consuetudine recedit. Ubique nitet elegans et subtilis ac tenuis, ad sensus tamen aptus sermo. Idas[1] enim ipse et Aeetes[2] furore perciti acriter contra aduersarios disputant, neque tamen ad tumida et nimis ardentia incitantur. Quare non licet hic Valerium et Apollonium inter se conferre.

Primum ille in ipsis orationibus quas longe imitatus est, multa neglexit, plura autem retractauit. Sic Phinei de misero illo Paraebio uerba omisit, Lyci autem illius sermonem in breuius coegit, quem Apollonius memoriae suae indulgentem et praeclara Herculis facta copiose narrantem induxerat[3] ; idem ille heros nunc tantum Argonautis gratulatur quod Pollux uiribus suis fretus Bebrycum regem oppresserit. Cum Iason et Argus Aeeten adeunt, curat Valerius ut plane sileat Argus, qui in Graeco opere primas agebat partes ; sed inde fit ut plura de Argi oratione in Iasonis orationem transierint ; tunc enim Iason ipse de nauigationis causa et Peliae tyranni mandatis et de Phrixo cognato loquitur[4]. Quod autem Aeetae et Graeci principis colloquia aliter disposuit, nihil est mirum, quia in illa poematis parte personarum sensus et rationem qua res apud Apollonium inter se conectebantur immutauit. Cum enim Graecus

1. Apoll. *Argon.*, I, 463 sqq.
2. Id., III, 372 sqq.
3. Id. II, 470-492, — 776 sqq.
4. Apoll. *Argon.*, III, 320 sqq. — Val. *Argon.*, V, 471-519.

poeta Aeeten a primo congressu Iasoni ferociter respondentem et minantem induceret, Valerius unicam illam orationem in duas diuisit, ut rex unam ex his ante Sarmaticum bellum, alteram ante Iasonis cum tauris et gigantibus certamen oraret. Apollonius igitur Aeeten initio depinxit Iasoni imperantem ut tauris iugum imponeret et ad Martis agrum incederet. Valerius autem Colchorum regem finxit primum Iasoni timore blandientem et suadentem ut sibi in fratrem inimicissimum auxilium ferret, inde uictori Aesonis filio, omni simulatione omissa, certamen cum tauris et gigantibus crudeliter proponeret. Ita quoque apud Valerium Medeae et Iasonis colloquia aliam speciem induunt ; maior est enim sermonis dulcedo quem inter se primum conferunt, quia nondum amoris ignibus exarserunt ; sed cum iam ad summa pericula accessit Iason, et uir ac puella mutuum iam conceperunt amorem, grauiores et acriores affectus exhibent[1].

Sed arte poeta noster magis quam rerum ipsarum ordine insignitur. Sponte enim ad ornatum et uehemens dicendi genus extollitur dum magnitudinem et pompam requirit et nobiles et magnificos et luctus praesertim uel irae plenos sensus exprimit ; saepe etiam e rhetorum scholis uidetur exiisse, nam idem studium quod iam T. Liuius, cuius scripta oratoriis sententiis redundant, secutus, in quaque contione uel oratione res lucide disponit et uariis figuris uerbisque arte electis ornat. Nihil quidem est quod ad mouendos affectus plus efficiat. Quod in Phinei oratione discernere licet ; pulchra quidem senis illius uerba, qui grauitatem uate et rege dignam in calamitatibus retinet, nedum, ut in Graeco opere, uirum aetate prouectum et caecum et atrocia patientem tantummodo se praebeat.

. . . . . « Salue, o mihi longum
Exspectata manus nostrisque, ait, agnita uotis. . . . .
Nouimus et diuis geniti quibus et uia iussos
Quae ferat, ac uestri rebar sic tempora cursus
Proxima quaeque legens. . . . .
Non ego nunc magno quod cretus Agenore Phineus
Aut memorem, mea quod uates insedit Apollo
Pectora : praesentis potius miserescite fati[2].

Quid tristius, immo luctuosius quam Aesonis ad inferos Deos preces ! Sed ibi quamquam ultimo dolore animique cruciatu uersatur, tamen uaria ornamenta mediam in orationem, ut oratores solent, libenter inserit :

. . . . . Tu nuntia sontum
Virgo Ioui, terras oculis quae prospicis aequis,
Ultricesque Deae Fasque et grandaeua Furorum
Poena parens, meritis regis succedite tectis
Et saeuas inferte faces[1]. . . . .

1. Val. *Argon.*, V, 378 sqq. et VII, 407 sqq. 2. Val. *Argon.*, IV, 436... 444 sqq.

Eadem grauitate Mopsus uates socios hortatur antequam Dolionibus fert inferias, et Argonautas consolatur, nobiles sententias e sapientium doctrinis depromens :

> Quippe nec in uentos nec in ultima soluimur ossa,
> Ira manet duratque dolor[2].....

Et pergit uates, de futura uita et occisorum ultionibus locutus.

Eandem dicendi uim Valerius in Telamonis et Meleagri contentione praestat, cum ille derelictum Herculem, fortissimum heroem, queritur, hic autem procaciter sociorum moram increpat et Herculis superbiam uituperat, Telamonis iram et contumelias in se conuertens. Multo quidem breuior Telamonis et Iasonis apud Apollonium disputatio ; qui acribus inter se iurgiis lacessebant, nec tamen nimium furori suo indulgebant neque in longam querellarum seriem excurrebant ; quid alter de altero sentiret tantummodo notabant, et cum Glaucus ad placandos animos adesset, uterque mutua excusatione se multum errauisse fatebatur et quod cuique praestandum erat ultro reddebat. Sed Latinus poeta sententiarum impetu et grauitate facile uincit ; Meleager enim, cuius ea est mens ut semper contrariam partem suscipiat, in minas uehementissime erumpit.

> Nos patriae immemores, maneant ceu nulla reuectos
> Gaudia, sed duro saeuae sub rege Mycenae,
> Ad medium cunctamur iter !.....
> .....Quid deside terra
> Haeremus ? uacuos cur lassant aequora uisus ?. ...
> Ast egomet quocumque uoces sequar, agmina ferro
> Plura metam, tibi dicta manus, tibi quicquid in ipso
> Sanguine erit, iamque hinc operum quae maxima posco[3].

Nonne *gloriosior* ille miles, cuius uerba heroum manus incitare dici possunt[4] ?

Sed nusquam pulchrius et aptius personis sensus accommodauit quam in illa oratione qua Iason Colchorum regi respondet. Superbus sane conspicitur heros, sed tamen sibi ipse imperat et dolorem coercet, neque quicquam aliud sibi laudi attribuit nisi quod Peliae mandato parens ad ultimos prope orbis terrarum fines peruenerit, nihil certe nisi aureum illud uellus pro munere uindicans ; at nullam iniuriam neque se neque socios suos declarat perpessuros.

---

1. Val. *Argon.*, I, 794 sqq.
2. Id., III, 377 sqq.
3. Id. III, 654 sqq... 660... 670 sqq. (Lemaire.) — Cf. 649-690.
4. Id., III, 690.
> . . . . . Simul incita dictis
> Heroum manus. . . . .

Ille [Pelias] meum imperiis urget caput, ille labores
Dat uarios, suus ut magnum rex spargit ab Argis
Alciden, Sthenelo ipse satus. Tamen aspera regum
Perpetimur iuga, nec melior parere recuso.
Hic sibi me auratae pecudis quiscumque periclis
Exuuias perferre iubet. Tibi gratia nostri
Sit, precor, haec meritique locus, quod iussa recepi
Teque alium, quam quem Pelias speratque cupitque,
Promisi et meliora tuae mihi foedera dextrae.....
Sed me nuda fides sanctique potentia iusti
Huc tulit ac medii sociatrix gratia Phrixi
Iamque tibi nostra geniti de stirpe nepotes[1].

Quae quidem Argus apud Apollonium breuius significabat, cum humilioribus uerbis ad regis mouendam misericordiam uteretur et dulcem Iasonis animum laudaret seque, naui amissa, benigne a Graeco hospite receptum memoraret[2].

Eadem fere de Aeetae responsis dici possunt. Quem Graecus scriptor saeuientem induxerat, Barbari instar, et iam crudelissima supplicia Argonautis ostentantem, immo una furere et deridere audentem[3]. In Latino autem poemate, eius astutiae et immanitati regia maiestas par uidetur esse; uere enim Barbarus exsistit, externis primum gentibus infensus et tamen blanditias et laudes cumulans ut Argonautarum fauorem in hostem fratrem sibi conciliet[4], sed breui eisdem uiris qui nuper ei ingens auxilium in fratrem tulerunt ingratus et ferociter inimicus, denique, quamuis prudens et uafer, in immoderatas minas leuiter efferuescens.

Orbe satos alio, sua litora regnaque habentes,
Quis furor has mediis tot fluctibus egit in oras,
Quisue mei uos tantus amor? Tu prima malorum
Causa mihi, tu, Phrixe gener. Non te aequore mersum
Quo soror, ut felix nullos nunc nomine Graios
Nossem ego! Quis regum Pelias, quis Thessalus aut quae
Graecia? Quodnam hominum cerno genus? aut ubi cautes
Cyaneae? Venit Scythicas en hospes in oras!...
Cur age, non templis sacrata auellere dona
Omnibus atque ipsas gremiis abducere natas,
Praedo, libet[5]?....

Ibi magnam ingenii uim inesse fatebimur. Ex hoc colligas orationes ipsas in illam sententiarum grauitatem et splendidum dicendi colorem multum contulisse.

---

1. Val. *Argon.*, V, 486 sqq. 498... — Cf. totam orationem 471-519.
2. Apoll. *Argon.*, III, 320 sqq.
3. Id. III, 396..., 405... sqq.
4. Val. *Argon.*, V, 519 sqq.
5. Id., VII, 35 sqq..., 48... — Cf. 32-78.

IX

De personis.

Sic, in Valerii carmen introspicientes, intelleximus quanta arte rerum materiam immutauisset; res autem poetam melius ordinauisse et noua personarum descriptione et frequenti Deorum intercedentium opera ornauisse, nunc nobis in animo est ostendere. Haec est enim cuiusuis poetae summa laus lucidum rerum ordinem seruare et uarias personarum mentes apte depingere.

Non dubitari potest quin Valerius conatus sit in iustum et decorum corpus singulas carminis partes redigere. Omnia in eo pulchre inter se cohaerentia uidentur. Quo multum Apollonium superat, qui in narrandis rebus temporum seriem est adsecutus et uariis erroribus huc illuc uersati Iasonis uestigia institit. At poeta noster, multa, ut iam demonstrauimus, quae de proposito digredi iudicabat, recidit; noluit enim de geographia uel de mythicis fabulis fusius disserere. Ceterum omnia sic disposuit ut melius inter se conecterentur et quasi quendam consensum effingerent. Nihil ergo de puerili illa auium fabula quae in Aretiade insula habitabant rettulit, nihil de Paraebio uel de Etesiis uentis, nec quicquam fere Phrixi filiis reliquit agendum[1]. Neque uero ullam facit mentionem de proelio quod Graeci post singulare Amyci et Pollucis certamen cum Bebrycibus conseruerunt, sane ut rationem qua res inter se excipiant clariorem efficiat et personarum mentes melius illustret[2]. Sic non forte, sed Cybeles ira Argonautae ad Cyzicum reducuntur[3]. Apte etiam cum proposito ea congruunt quae tantum ad ornandam materiam uidentur idonea. Sic Helle Dea mirantium Argonautarum oculis obicitur, et cum Orpheus lyrae chordas impellit, non rerum naturam e Chao orientem celebrat, sed ipsam Phrixi laudem[4]. Prometheum quoque non solum, Apollonii instar, ad Caucasi iuga ostendit affixum, sed ab Hercule illo liberatum, cuius iam praeclara facta ante laudata sunt, et tristissima fuga ab Argonautis tam gra-

1. De Paraebio uide Apoll. *Argon.*, II, 450-502, de Phrixi uero filiis, II, 1092, usque prope ad huius libri finem.
2. Apoll. *Argon.*, II, 98 sqq.
3. Val. *Argon.*, III, 20 sqq.
4. Id., II, 588 sqq.; I, 277-294.

uiter accepta[1]. Eodem modo, cum in Bospori fretum intrat Argo nauis, opportune Ius uirginis fatum dulcis Orpheus referre coepit[2]. Denique libenter personas quibus primas tribuit partes denuo inducit agentes. Postquam enim raptus est Hylas, Apollonius Glaucum marinum Deum ex undis adsurgentem fingit ut Argonautas moneat; Valerius autem maluit Hylae ipsius imaginem circum somniantem amicum Herculem uolitare[3]. Nusquam fere igitur multum poeta extra operis argumentum progredi uidetur; res apud eum inter se artificiose excipiunt.

Duo praecipue sunt ad quae semper attentum habuit animum: Deorum ministerio saepissime usus est et ad Iasonis ac Medeae sensus actionem fere totam rettulit: Iuno enim et Minerua Argonautarum causam apud Iouem orant et summis periculis heroas liberant; immo Venus ipsa Medeam amore incendit. Viros tamen ita descripsit agentes ut se ipsos commendare et quantum ualerent significare uiderentur; quorum quisque peculiarem sui indolem exhibet. Hic denique Medea non subito amorem concipit, sed herois primum admiratione, teneris deinde et eisdem acribus affectibus, dum adsunt Venus et Iuno, mouetur; Iason autem multis proeliis et egregiis facinoribus ingentem laudem sibi comparat et Medeae amore uere dignus efficitur. Inde fit ut, Apollonii uestigia deserens, Valerius illud inter Aeeten et Persen motum bellum finxerit quo Iasonis uirtus illustraretur, Medeae amor aliquantum probaretur. Ille uero totius carminis ordo et concinnitas mire personis ipsis uariisque earum sensibus lucem quandam adferunt.

Maior est apud Apollonium inductarum personarum numerus. Multae tamen sunt quas obiter tantum praestrinxit; neque has easdem poeta noster amplius descripsit, quia sane in propositum eius non adeo quadrabant. Quid apud utrumque de Mopso uel Idmone dici potest, nisi quod augurali officio funguntur? Etsi Valerius ab Idmone saeui apri morsus arcuit et ei quoddam mortis genus reseruauit quod plus decoris exhiberet, heroem tamen illum in recessu reliquit neque noui quicquam ei attribuit[4]. Tiphys quoque ab Apollonio nullam aliam uirtutem nisi optimi gubernatoris acceperat; quare nauem suam, potentis Deae opus, multum diligit eamque libenter inuictam et grauissimis procellis sustinendis aptam praedicat; cuius firmam manum et firmum consilium admirari decet, siue socios deficientes increpat siue fortiter in Cyanearum an-

---

1. Val. *Argon.*, V, 154 sqq.

2. Id., IV, 346 sqq.

3. Apoll. *Argon.*, I, 1310 sqq. — Val. *Argon.*, IV, 22 sqq.

4. Apoll. *Argon.*, II, 817-853. — Val. *Argon.*, Libri V initium.

Argolicus morbis fatisque rapacibus Idmon Labitur.....

De Mopso uide I, 205 sqq et III, 362 sqq.

gustiis ad transitum et omnium salutem omnia parat[1]. Sed mox morte abripitur. Nihil autem fere de illo memorauit Valerius, quamquam hic etiam Iason mortuum gubernatorem pulchra et ad mouendam miserationem idonea oratione decorat[2]. Neque uero in describendo Phineo multum commoratus est; cuius contra Apollonius constantiam et serenam atque culparum consciam mentem subtiliter expresserat[3].

Sunt autem plures personae quas neglegere aut in recessu ponere propter nouum narratarum rerum ordinem est coactus. Paucissima de Chalciope, Medeae sorore refert, quae in Graeco carmine, precibus simul et prudentia, immo calliditate sua, filiis et Iasoni pariter et Argonautis salutem ministrabat; mater enim illa, omni religione et haesitatione reiecta, ad hoc tantum impensa opera elaborabat ut Phrixi prolem sibi seruaret incolumem[4]. Sed hac persona Valerio non opus erat, qui Circae et Deae Veneri easdem partes tradidit. Neque ad rem quam sibi proposuerat pertinere putabat Areten illam, Alcinoi coniugem dulci uirtute et indulgenti erga uitiosos beneuolentia et tenera malorum miseratione iucundam[5].

Sed iam Hypsipyles uirtutes melius illustrauit; quae, praesertim, ut nuper compluribus locis designauimus, singulari illo patris amore et forti animo habituque uere regina digno et acri proficiscentis Iasonis desiderio puellam illam quodammodo superat, quae apud Graecum poetam simpliciores et fortasse muliebri naturae aptiores affectus exhibebat[6]. At multae sunt secundarum partium personae, quas ab Apollonio artificiose expolitas retractauit: quales Orpheus et Hercules et Peleus et Telamon. Orpheus nequaquam ad bellatoris similitudinem, proeliorum et laudis auidi, erat expressus; is erat contra apud Apollonium fabulosus ille Thracius uates, cuius suauissimi cantus feras mulcere et res ipsas, uitae participes factas, agere et mouere poterant[7]. Formosus ille heros, qui uultu pulchrum illum sensuum concentum, ex artium solo cultu petitum praefert, bene de Argonautis meretur, siue lyra remigum motus temperat uel iurgia componit[8], siue canora uoce Sirenibus aemulans omni periculo comites suos liberat[9]; quin etiam carminibus Iasonis et Medeae nuptias decorat laetorumque nautarum ducit choreas[10]; ita Musarum ille discipulus sacro quodam officio fungitur et saepe uere sacerdos exsistit; nonne preces eius benigno animo audientes Hesperides ex harenosis Libyae solitudinibus purum fontem exprimunt[11]?

---

1. Apoll. *Argon.*, II, 551 sqq. — V. in primis locum ubi nauem suam laudat : II, 614.
2. Val. *Argon.*, V, 21.
3. Apoll. *Argon.*, II, 209 sqq.
4. Id., III, 253 sqq.
5. Id., IV, 657, 980 sqq.
6. Id., I, 640-910. — Val. *Argon.*, II, 242-441.
7. Apoll. *Argon.*, I, 23.
8. Id., I, 540; I, 496.
9. Id., IV, 900-907.
10. Id., IV, 1157-1159.
11. Id., IV, 1407-1420.

Quid? cum Argonautis suadet ut Tritoni tripoda offerant, optimum consilium ingentemque sociis opem praebens. At Valerius non inconsulte Orpheo uidetur poetae partes tantum concessisse, quamquam eum inducit nautarum motus componentem et ueteres fabulas ita canentem ut rursus dulces et placidi sensus in deficientes animos redeant[1];

> Thracius at summa sociis e puppe sacerdos
> Fata Deum et miserae solans incommoda uitae
> Securum numeris agit et medicabile carmen;
> Quod simul adsumpta pulsum fide, luctus et irae
> Et labor et dulces cedunt e pectore nati[2].

Sed huic personae depingendae non ita multam operam dedit, siue materiam iam obtritam iudicabat, siue quo insigniorem Iasoni ipsi locum reseruaret; ceterum ne obliuiscamur Valerium opus suum ad finem non perduxisse.

Peleum in argumento parui momenti esse utrique poetae melius est uisum. Quem Apollonius miti et sapienti ingenio praeditum et semper paratum optima consilia promere induxit. Cum nauis de Pagasaeo litore discedit, Chirona et paruulum Achillem ad extremam oram accedentes et benigna manu salutantes respicit[3]. Idem ille ad Tritonidem lacum, quae Iasoni praedicauerunt huius loci accolae Deae, prudentissime, Oedipodis aemulus, interpretatur[4]. Minores etiam partes apud Valerium agit; is enim nihil aliud heroi tribuit nisi ingentem filii amorem et egregiam fortitudinem; quae satis significant ultima Pelei uerba, ad incerta fata proficiscentis.

> Laetus at impliciti Peleus rapit oscula nati,
> Suspiciensque polum : « Placido si currere fluctu
> Pelea uultis, ait, uentosque optare ferentes,
> Hoc, superi, seruate caput. Tu cetera, Chiron,
> Da mihi. Te paruus lituos et bella loquentem
> Miretur; sub te puerilia tela magistro
> Venator ferat et nostram festinet ad hastam[5].

Quae omnia etsi a Valerio Flacco obiter praestringuntur, personae illius ingenium clarius uidetur depinxisse; hoc enim est Latini poetae proprium res aptiore ordine disponere.

Sed unum praecipue ex illis heroibus libenter expressit, non ita tamen ut hic Iasoni aemulari posset. Herculis enim uirtuti nimium fortasse Apollonius tribuerat, cum illum bellica laude ceteris tantum praestantem significaret ut Argonautis summo imperio dignus

---

1. Val. *Argon.*, I, 186; I, 470. — Orphei cantus : I, 274 sqq.
2. Id., IV, 85.
3. Apoll. *Argon.*, I, 553 sqq.
4. Id., IV, 1366 sqq.
5. Val. *Argon.*, I, 264 sqq.

uideretur et uere nauem per maria ipse ducturus fuisset, nisi fortitudini aequam moderationem exhibens Iasoni socios rursus suffragari iussisset[1]. Ceterum ultro, non crudeli Eurystheo parens, ad nouam illam gloriam euolat. Ingenti autem prudentiae innixus, Lemniis deliciis irretitos socios excitat, praeclara illa facinora laudans quae erant exsecuturi[2]. Neque dulciores affectus ei desunt; inde Hylae rapti illud tam graue desiderium. Sed ferox ei animus et eximiae uires, quibus nihil non cedit, et innumerosa proelia uictrici manu conserta. Solus enim fere Gigantas in Clytio portu trucidat, unum ex his laboribus perficiens quos saeua Iuno multo ante inimicae Iouis proli reseruauerat[3]. Hoc autem grande facinus Latinus poeta neglexit, sed pari studio herois uires et insuperabilem fortitudinem et in primis illam magnanimitatem ostendit qua semper deproeliari et oppressam uirtutem ulcisci et amicis atque etiam cuilibet ignoto auxiliari uidetur paratus. Talis adest, siue Lemnios amores improbat[4], siue lacertos suos ualidius explicans fractum remum seque ipsum deturbatum esse miratur[5], siue Phlegyan uel Admona graui claua opprimit[6], siue Hylan raptum per agros dolore insaniens requirit[7], siue ad Prometheum et Caucasi glacie rigentia cacumina ascendit[8]; sed nusquam laude dignior uidetur quam cum Hesionen liberat et e saeuissima morte eripit: hic nouum, ut ita dicam, Herculem poeta animo concepit, qui mira dulcedine et timidi pudoris reuerentia suum atrocem et ardentem animum temperet[9]. Feliciter igitur personam illam expressit, sed huius nobilis uultus delineamenta aliquantisper detriuit, ne tantae laudis splendore Iasonem obscuraret. Quare Aesonis filius sine ulla controuersia nauigii dux praedicatus est, neque opus est Herculi quam sit modestus ostendere; sane Telamon de illo omnium erga Herculem fauore pauca ambigue loquitur et amicum suum, si uellet, nauigationi praefuturum fuisse affirmat; sed tunc Telamon Meleagrum uehementer increpare coepit[10]; neque sane miremur quod aemulatione et ira et dolore impulsus res non ut fuerant sed ut futuras optauerat rettulerit; in hoc Valerius Apollonium superauit, qui a carminis exordio Herculem, iam a sociis electum, Iasoni cedentem expressit[11].

At contra in Aeetae persona plura explicauit quae tantum ab

1. Apoll. *Argon.*, I, 345-348.
2. Id., I, 865-875.
3. Id., I, 989-1012.
4. Val. *Argon.*, II, 373 sqq.
5. Id., III, 470. Id. sqq.
6. Id., III, 124... 167.
7. Id., III, 565 sqq... 732-740.
8. Id., V, 154 sqq.
9. Id., II, 454 sqq.
10. Id., III, 697.

...Quis terris proh Juppiter, inquit, Achaeis
Iste dies! Saeui capient quae gaudia Colchi!
Non hi tum flatus, non ista superbia dictis,
Litore cum patrio, iam uela petentibus austris,
Cunctus ad Alciden uersus fauor.....

11. Apoll. *Argon.*, I, 341-351.

Apollonio praestricta erant. Sic ad iracundiam procliuior fit Medeae pater et dissimulationem ac saeuum hospitum odium libenter exercet. Iam uidimus quam facile fidem fefellisset. Idem tamen ille dulcissimum amorem filiae suae impertit, parem caritatis remunerationem ab ea accipiens. Quanto animi motu Medeam fugisse et parentes ac patriam prodidisse audit! Neque sane tantum rapti uelleris quantum amissae filiae desiderio turbatur.

..... Volat ipse senectae
Immemor Aeetes, complentur litora bello
Nequicquam; fugit immissis nam puppis habenis[1].

Puellae quoque ipsa mater, de qua nihil Apollonius tradiderat, inter alias personas sententiarum maestitia et doloris ardore surgit conspicua, cum in uanas querellas effunditur, filiam suam reuocans et raptorem exsecrans, cui pro redditis unicis illis deliciis omnes thesauros libenter permittat[2]. Absyrtus quoque uirtutis quaedam signa praefert, neque eum poeta sine aliqua delectatione uidetur depinxisse. Apparet iuuenis ille

Dignus auo quemque insontem meliora manerent[3].

Ferox et acre ac tamen aequitate bene temperatum exhibet ingenium, siue ex proeliis contra Persen actis in prima acie magnam laudem refert siue mari Iasonem persecutus domus suae sororisque iniuriam ulciscendi cupiditate flagrat[4]. Denique Styrus, qui sibi Medeam summo omnium consensu desponderat, artificiose adumbratus est. Mirum quantum iuuenilem ardorem piumque desiderium se laude extollendi ostendat[5]. Sed in nulla operis parte poeta maiorem artem exhibuit quam cum Alcimedes et Aesonis ingenia effinxit.

Iam Apollonius Alcimedes sensus apte expresserat, cum inanes questus effunderet et se solam futuram anxia deploraret[6]. Matronam autem quandam Valerius inducit, quae de suo filio magis quam de se ipsa sollicita sit et mortem ut malorum uindicem salutet[7]. Quae quidem, cum sponte sua se uita liberat, coniuge Aesone uidetur uere digna. Non est hic senex quem Apollonius annis fractum in lecto segnem depingit iacentem[8]; nunc autem tantum uirium et fortitudinis habet ut tyrannum Pelian imminentemque mortem

1. Val. *Argon.*, VIII, 137. — Cf. Apoll., IV, 212-236. — De Aeetae ingenio, uide apud Apollonium, III, 372 sqq., regis ad Iasonem saeua uerba. — Cf. Valerium, V, 532 sqq. et VII, 55.
2. Val. *Argon.*, VIII, 140-175.
3. Id., V, 458.
4. Id., VIII, 369 sqq.
5. Id., VIII, 329.
6. Apoll. *Argon.*, I, 278-292
7. Val. *Argon.*, I, 317 sqq. Cf. supra.
8. Apoll. *Argon.*, I, 263-268.

constanter sustinere, immo possit lacessere. Ambo, postquam mori mutuo consilio decreuerunt, pacata mente Auerni Deis inferias faciunt et quemadmodum illi Stoici uiri, qui cum de uita decedere a saeuissimo quodam principe iuberentur, firmo ac potius laeto animo mandata exsequi festinabant, ita Peliae iustas poenas et mortem et ruinam imprecati ultoremque filium uotis arcessentes, auide ueneni poculum hauriunt, leto ipso, ut ante unanimes uixerant, nunc in aeternum coniuncti[1].

Pauci sunt alii quales Meleager et Telamon, quorum sensus maiore cura expressisset nisi ante omnia sibi in animo proposuisset ad solum Iasonem cuncta redigere eique longe praecipuas partes deferre. Telamon enim, fidus ille Herculis amicus, maiorem animi ardorem et iram, Hercule amisso, apud Apollonium exhibebat; qui quidem Iasonem atrociter increpabat et gubernaculo ui potiri conabatur ut ad litus nauem regeret, clamores et querellas et preces confundens[2]. Dulcior autem apud Valerium uidetur, potius gemens quam ad ultimas minas inuectus et cum Meleagro magis quam cum duce ipso contendit.

> Talibus Aeacides socios terroribus urgens
> Illacrimat multaque comas deformat harena[3].

Meleagro quoque ea tribuit ingenii uitia quae, fusius descripta, ad carminis iucunditatem multum addere poterant.

> .....Potioribus ille
> Deteriora fouens, semperque inuersa tueri
> Durus et haud ullis umquam superabilis aequis[4].

Atque res eo magis poetae legentis beneuolentiam conciliauisset, quod nihil prope de illo heroe memorauerat Apollonius. Sed ad Iasonem tantummodo erat intentus.

Ille enim longe ceteris praestat. At Valerius tanto magis ab Apollonio discedebat quanto maiorem diligentiam in depingenda illa persona adhibebat. Sane Graecus poeta multis et praeclaris uirtutibus heroem ornauit; qui summam prae se fert matris caritatem cum illam dulcibus benignisque uerbis fouet ultimum amplexus[5], summum quoque patriae amorem, unde proficiscens lacrimis plenos auertit oculos.

> .....αὐτὰρ Ἰήσων
> δυκρυόεις γαίης ἀπὸ πατρίδος ὄμματ' ἔνεικεν[6].....

---

1. Valerii *Argon.*, I, 767 sqq.

2. Apoll. *Argon.*, I, 1289 sqq. Vide praesertim prima eius ad Iasonem uerba, 1289.
...Τελαμῶνα δ' ἔλεν χόλος, ὧδε τ' ἔειπεν·
« Ἦσ' αὔτως εὔκηλος, ἐπεὶ νύ τοι ἄρμενον ἦεν
« Ἡρακλῆα λιπεῖν·..... »

3. Val. *Argon.*, III, 715.

4. Id., III, 646.

5. Apoll. *Argon.*, I, 295 sqq.

6. Id., I, 534-535.

Pluris etiam sociorum quam suam ipsius salutem aestimat, neque uero illud fidele studium iactat, sed quae pro sociis egit et nocte dieque in anxia mente uersauit modeste obscurat et aegre fatetur; quare, cum e Cyanearum angustiis elapsi gaudent Argonautae, tum primum uehementer motus, sensus aperit et constantem erga suos fidem significat[1]. Illa uero Iasonis in heroas quos fatis suis socios adiunxit benignitas, et impensum studium quo sua ipsius neglegens aliorum commodis fauet, animum uere liberalem declarant. Neque adeo est suae auctoritatis et laudis auidus ut, si quid probrose uel iniuste dictum audierit, uehementius commoueatur et in iracundiam delabatur. Quare cum Telamon heroem grauissime reprehendit et accusat quod Herculem consilio amiserit, dein conuicia et breuem furorem excusat, iuuenis benigne comitis uerba accipit, neque se ullam animi aegritudinem exerciturum promittit[2].

.....ἀλλ' οὐ θήν τοι ἀδευκέα μῆνιν ἀέξω
πρίν περ ἀνιηθείς· ἐπεὶ οὐ περὶ πώεσι μήλων,
οὐδὲ περὶ κτεάτεσσι χαλεψάμενος μενεήνας,
ἀλλ' ἑτάρου περὶ φωτός.....

Quin etiam amor ipse, quem tot poetae et ipse Apollonius ut fatalem et inuictam uim expresserunt, non ita Iasonis affectus concitat; multum igitur a Medea illa differt, cuius ipse animum perturbauit et quae concepto ardore tam praeceps agitur; Hypsipylen enim et Aeetae filiam sincere nec tamen ullo caeco impetu diligit. Quare Hypsipylen, instantibus sociis, deserit, illius laudis quam se adepturum sperat cupiditate impulsus, et prudenti ac dulci sermone puellam salutat, omni reditus spe sublata[3]. Cum autem Medeae conspectu et colloquio fruitur, non subita cupidinis ui mouetur, sed gliscentes sensim grati tenerique affectus dulci erga pulchram uirginem amore eius animum perfundunt[4].

Idem ille prudens et moderatus uir singulari pietate sacra colit et Deos ueneratur, a quibus salutem orat et exspectat; nullum igitur est litus, nulla fere insula, in qua Deis Phoebo uel Cybelae uel Herae non rite hostias sacrificet[5]. Non autem is est qui morem maiorum fideliter secutus, minus pietate quam consuetudinis ui ad haec sacra accedat, nam pium animum saepius significat; sub Phoebi enim auspiciis longam illam nauigationem init[6], et cum Phrixi filios benigne excipit, de Ioue omnia cernente et praesagiente

1. Apoll. *Argon.*, II, 633 sqq.
2. Id., I, 1339 sqq.
3. Id., I, 875-922.
4. Id., III, 974 sqq.
5. Id., I, 402 sqq., 1107 sqq. — II, 696.
6. Id., I, 411.

plura dicit[1]. Neque uero mentis opibus minus quam animi uirtutibus inter primos elucet. Summa constantia iter propositum peragit, et ad illum finem tendit quem sibi ipse praescripsit. Non enim Hypsipyles amor, non Herculis amicitia, non angusta Cyanearum rupium uorago ducis fortitudinem infregerunt; uno tenore, aequa mente aduersa patitur et cum sociis ad laudem euolat. Nihil quidem temere agit, sed ingentem prudentiam exhibet; semper sociorum iracundiam temperare[2] et eorum uirtutem excitare[3] est paratus; antequam ab Aeeta aureum uellus petit, comitibus suadet ut lenibus consiliis utantur et ita pretiosam illam rem obtineant[4]. Sunt tamen apud eum quae mollius ingenium designent et potius rectae mentis uiro quam praeclaro duci conueniant; non enim talis inest in eo ardor ut admirationem nostram uehementer moueat. Sic in proeliis ipsis prae Iasone Pollux et Hercules eminent; hic Amycum, ille Dolionas opprimit. Quid? quod heroi illi aliquantisper desunt auctoritas et felix ille omnium uoluntatum consensus qui inuictos duces confirmat. Cuius laus quamuis spectata non praeclarissimis factis comprobata et stabilita est. Quid memorem Telamonis uel Idae ad Iasonem ferocia uerba[5], et Herculem primum ab omnibus Argonautis ducem delectum, deinde sponte sua Aesonis filio summum imperium delegantem? Qui quidem fit tantummodo primus inter pares neque supra eos insuperabili uirtute attollitur. Ceterum postquam, longum iter emensus, ad Phasidis ripas appulit, non eandem libertatem et audaciam ostendit, sane quia tum melius intellegit quanta difficultate sit consilium illud perficiendum. Adde quod clarius apparet heroem in his omnibus rebus Deos et Medeam ipsam sequi duces. Optes enim ut praeclariora facinora conficiat, in quibus nullo alieno auxilio adiuuetur; nonne cum aduersus igniuomos tauros proeliatur, Medea ipsa uidetur ad eum uera uictrix adesse? Sane haec humanae naturae plane dicas consentanea, sed quaedam sunt in tali carmine quae poeta debeat ab heroibus diligenter remouere; at hoc erat Apollonii ingenium ut libenter heroum sensus et facta intra communes mortalis gentis fines retineret eorumque naturam ad plerorumque hominum imaginem effingeret. Inde fit ut Iason, Phinei mandata audiens, mente perculsus aliquandiu[6] maneat nec saeui Peliae condicionibus primum quicquam respondeat, ac paulo post mitioribus fortasse uerbis Aeeten alloquatur[7].

---

1. Apoll. *Argon.*, II, 1182 sqq.
2. Id., I, 493 sqq. — 1337 sqq.
3. Id., I, 1104 sqq; II, 643; III, 171; IV, 1345 sqq.
4. Id., III, 185 sqq.
5. Id., I. 463. — De Telamone et Hercule, uide supra.
6. Id., II, 410 sqq.
7. Id., carminis *initium* et III, 422 sqq.

ὣς ἄρ' ἔφη · ὃ δὲ σῖγα ποδῶν πάρος ὄμματα πήξας
ἧστ' αὖτως ἄφθογγος, ἀμηχανέων κακότητι.....
Αἰήτη, μάλα τοί με δίκη περιπολλὸν ἐέργεις.
τῷ καὶ ἐγὼ τὸν ἄεθλον ὑπερφίαλόν περ ἐόντα
τλήσομαι, εἰ καί μοι θανέειν μόρος.....

Quid? quod mortuo Tiphy in ultimam desperationem abiectus ita maerore consumitur ut nullum aliis solacium adferre possit et ab ipso Ancaeo recreetur et reficiatur, nihil nisi tristia et humilia uerba effundens[1]. Denique in Africis solitudinibus et inter densas illas tenebras quae nauem e Creta decedentem inuoluunt, plerumque lacrimat et Deos inuocat, animo fractus, praeclarus ille dux Argonautarum. Quamquam igitur concedimus Iasonis uirtutem saepe adsurgere, illam tamen notandum saepius aliquantisper obteri, et quod humanae naturae est, in summis discriminibus cedere. Veritatem enim poeta effingere conabatur et fabularum splendidissimarum multitudo, quae de Argonautis iam undique latae erant, ei oneri potius fuisse quam auxilio uidetur.

Valerius autem Iasonis personam longe alio consilio expressit. Primum tamen multas uirtutes quas Apollonius iam heroi addiderat retinuit. Namque hic matri eandem piam reuerentiam et omnino cuiuis homini tenerum et misericordem animum praestat. Sic uehementissimo dolore commouetur, cum Cyzici quem ignarus occidit, ante oculos corpus habet; nihil uerius quam illi singultus et acre desiderium, quamquam haec uerba quendam rhetoricae artis fucum hic illic designant[2]. Ubi quoque sociorum uoluntati cedens litus illud deserit, in quo Hercules ex oculis subito est elapsus, dum Telamon et Meleager atrocibus inter se iurgiis lacessunt, maestus iuuenis intra pallium uultum abscondit:

> Fata trahunt, raptusque uirum certamine ductor
> Ibat et obtenta mulcebat lumina palla[3].

Neque uero minore pietate Deos colit et Neptuno inferisque Deis sacra facit; non enim ab eius consiliis sapientia, diuinum illud donum abest, et quia meritam Deis gratiam memori mente persoluit, in summis periculis non ita diu animi dubius manet.

> Tandem animi incertum confusaque pectora firmat
> Religio[4].....

At uiuidi patent Iasonis sensus; quamquam enim poeta in hoc magis incumbere poterat, heroem expressit Medeae amanti libe-

1. Apoll. *Argon.*, II, 887 sqq.
2. Val. *Argon.*, III, 283-314.
3. Id., III, 717-719.
4. Id., I, 79-80.

riore amore respondentem et teneras curas magis in dies exhibentem. Nam cum primum inscius a puella petit ut sibi paternam regiam demonstret, ignotae uirginis pulchritudinem sentit.

> .....Nec minus inter
> Ille tot ignoti socias gregis haeret in una
> Defixus, sentitque ducem dominamque cateruae[1].

Postquam autem, auctore Amorum Dea, Aeetias Iasoni sacra gramina et salutem praestitit, hic iuuenili ardore captus, dulcissimis uerbis acerrimos affectus aperit et Aeetae filiam orat ut secum Graeciam petere uelit, coniugis nomen saepius referens. Quam distat ab illo Iasone, cui ne in tali re quidem prudentia et temperata consilia deerant, nec quicquam promittendum sed fouenda tantum puellae spes uidebatur!

> Tune, ait, Aesoniden quicquam te uelle relicta
> Credis et ulla pati sine te loca? Redde tyranno
> Me potius; recipe ingratos atque exue cantus.
> .....Respice ad has uoces et iam, precor, annue, coniunx[2].

Sic dicas Iasonem interdum amatoris potius quam ducis agere partes, quoniam ut amoris pignus gloriam suam, immo uitam, Medeae tradere non dubitat. Neque multo post in alacre et uere iuuene dignum gaudium effunditur, cum ante Hecates templum Medeam excipit se ipsam amico dedentem[3]. Haec uere noua noster poeta in illam personam inseruit.

Alia uero libentius explicauit, scilicet Iasonis prudentiam et fortitudinem; quod ab Apollonio prope neglectum fuerat et huic optime cessit, copiam tali poetae praebens acerrima et splendidissima quaeque pangendi. Sic ubi a saeuo Pelia ad longinqua litora rapiendumque aureum uellus mittitur, Iason secreta tyranni consilia tam penitus intellegit ut sibi huius filium tamquam obsidem adiungere cogitet[4]. Deinde omnium horum consensu quos inclita eius laus in unum locum ad peragendum nauigium glomerauit, uere dignus existimari uidetur qui tot et tantis heroibus praesit; neque ei est opus, ut ad hunc honoris gradum extollatur, Herculis beneficio[5]. Nullum enim consilium Argonautae de eligendo duce ineunt et ab ipso rerum initio Iason omnia solus regit et comparat et sacra facit, ipse manu oleum in aram effundens. Tum illius mens laudis amore tumet et per maria euolat[6]. Si uero breui tempore Lemniis

1. Val. *Argon.*, V, 375-379.
2. Id., VII, 490 sqq.
3. Id., VIII, 37-44.
4. Id., I, 64, 157-184.
5. Hoc saltem artificiose texit. — Cf. III, 697 sqq.
6. Id., I, 76.

illecebris irretitur, propediem uincula ista soluit et fata secutus iter inceptum peragit. Ceterum iudices ducem illum ad summam uirtutem plus aequo accedere et rarius in se non solum uitiosa sed etiam mendosa quaedam accipere. Sane mors Cyzici, ut exemplo utar, eius animum paululum frangit, sed ita Valerio omnis magnitudinis species placet ut illam doloris ostentationem apud iuuenem excuset atque etiam reprehendere uideatur, quia talis dux maestitiam dissimulare debeat.

> Ipse etiam Aesonides (quamquam tristissima rerum
> Castiganda duci, uultuque premenda sereno),
> Dulcibus indulget lacrimis[1].....

Sed plerumque id est Iasonis ingenium ut sponte audacibus et acribus consiliis delectetur et ad praeclara facta contendat. Comites ipse hortatur et eorum oculis aureum uellus ac nouam illam laudem subicit ; ipse, dum nauis in Symplegadum faucibus anguste concluditur, singula transtra percurrens ad maiores conatus remiges incitat. Quod officium Apollonius Ancaeo gubernatori attribuerat.

> Ipse per arma uolans et per iuga summa carinae
> Hortatur supplexque manus intendit Iason,
> Nomine quemque premens[2].....

Neque adeo mira est illa constantia. Nam ingentem animi uim in summis periculis ostendit, siue interrito uultu Peliae iussa audit, siue egregie temperata audacia Aeeten alloquitur ; cui quidem, non Argo isti, quem Graecus poeta tum orantem induxit, talis res conueniebat[3]. At Colchorum illum tyrannum a quo iussus est ignem spirantibus tauris iugum imponere, quam ferocibus probrosisque uerbis onerat et attonitum relinquit! Denique bellicae laudis auidus, in prima acie proeliatur ; in quo Valerius haud paulum Apollonium superare nobis uidetur ; nullam enim occasionem amittit fortitudinem illam illustrandi. Quare cum immanis Amycus ad pugnam Graecos prouocat, cum Polluce simul euolat Iason[4]. Quid de illo bello dicam quod Argonautae pro Aeeta sustinent et ubi heros praeclarissimam uirtutem sine ullo alieno auxilio ostendit? Nonne Colaxem, Iouis filium trucidat, qui ad uasta saxa deicienda promptus erat et immenso turbine cuncta rapere uidebatur[5]. Interea e summis moenibus Aeetias uirgo heroem hostes in acie fugantem ingenti

1. Val. *Argon.*, III, 369 sqq.
2. Id., IV, 637 sqq, 647 sqq.
3. Id., I, 58 sqq ; V, 471-521.
4. Id., IV, 222 sqq.
5. Id., VI, 629-657.

admiratione conspiciebat eiusque animus pudore et timore et dulci praesertim amore perfundebatur. Neque uero ille multas preces adhibet, neque humilius Medeae supplicat, nam artificiosa fictaque uidentur illa uerba quibus eum Venus se compellauisse declarat; quae quidem uirginem tantummodo commouere conatur, et ueri simile est Deam hic mendacia conserere; non enim is est Valerii Iason qui ad ultimam desperationem redigatur et in gladium ruere sit paratus[1]. At contra saepius usque ad temeritatem prolabitur, ut cui nimia sit cupiditas uires suas explicandi. Sic quamquam a Medea monitus est ut in medios Gigantum ordines galeam iniceret, cum e terra exire inciperent, in proelio tamen ipso aliquantum haeret, quippe qui solus hostes istos e solo natos caedere quam tali artificio uti malit, neque ad hanc fraudem, nisi necessitati cedens confugit[2]. Ita Iason, siue nauigium ducit, siue bella gerit, insignem ipse gloriam adsequitur. Undique praeclaras res se agentem praestat. Primas igitur ei poeta detulit partes; in hoc praesertim laudandus est quod non herois personam qualem Apollonius reddiderit sed feliciter retractauerit et nouam eius quandam splendidiorem imaginem protulerit.

Medeae quoque ingenium et mores ita exprimit ut apud eam pauca reperias quae ex Apollonio deprompta uideantur. Longe enim aliam puellae illius speciem effinxit, totiens a poetis et artificibus celebratae; nam duo sunt in primis disparia quae depinxit, scilicet uirginis pudor et magica ars. Sane Apollonius iam illam induxerat, Hecates sacerdotis uice fungentem et deuotionibus omnia prodigia exercentem. Nonne Hera Aphroditae nuntiat Aeetae filiam carminibus Iasoni aureum uellus traditurum et Iolcon reducturam[3]? Terrorem quoque omnibus arcana potestate incutit[4], eiusque ipsi propinqui, cum eam compellant, nescio quam reuerentiam, incerto timore mixtam exhibent. Sed Graecus poeta noluit in his rebus diutius commorari; nam ubi primum Eros in tenerum Medeae pectus sagittam infixit, Aeetae filia tantummodo una fit ex his mortalibus puellis, quas suaue desiderium turbat et ad uoluptates, immo tristem fortunam et scelus ipsum impellit amor. Acri illo animi affectu subito mouetur, quasi uehementi ictu labefactetur; fremens enim ardentibus oculis praetereuntem Iasonem conspicit[5]; non satiari potest Iasonem sequendo et admirando, et cum ex eius oculis elapsus est heros, mens ipsa deficientibus sensibus succedens, dulcissima imagine pascitur. Nescit tamen adhuc qua cupidine ardeat, neque uero quicquam aliud obseruat et in hoc solo libenter mora-

1. Val. *Argon.*, VII, 266 sqq.
2. Id., VII, 625 sqq.
3. Apoll. *Argon.*, III, 85.
4. Id., III, 885.
.....ἀμφὶ δὲ λαοὶ
εἶκον, ἀλευάμενοι βασιλῆίδος ὄμματα κούρης.
5. Id., III, 285 sqq.

tur. Si forte penitus in se introspiciens quid consilii gerat anxia requirit, miratur ipsa quanta cura ad illum uirum qui mox tauros sit domiturus et tam triste periculum aditurus intendat animum. Timores quidem illos excutere conatur,

Τίπτ' ἐμὲ θειλαίην τόδ' ἔχει ἄχος[1];.....

sed in somnio (somnia mortalibus Iuppiter mittere solet) clarius ea uidet quae uigilans non audeat mente fingere; nec mirum, quia somnus hominum oculis haud raro imagines quasdam praebet, quarum primas duxisse lineas uidetur diurnae cogitationis naturalis et inscia uis. Tum demum, somnio monita uirgo suos sensus intellegere coepit; sentit enim se impelli ut hospitem ab omni periculo liberet atque in Graeciam sequatur; sic fata uoluisse coicit, sed uirginitatem suam parentumque domum, uehementer mota, pudori ferociter innixa recordatur[2] et in eis rebus mente requiescit. At ubi Chalciope soror, quae de filiis suis anxia est, Medeam inuisit, mira calliditate Aeetias illa uirgo, Iasonis amori cedens, cum animaduertat sibi sororique suae multa simul conuenire nec posse seruari Chalciopes filios nisi incolumis fiat Iason, ita rem gerit ut Chalciopae somnia illa non sine quibusdam mendaciunculis narret et quae ipsa non audeat ultro suscipere eadem haec a sorore aggredi cogatur. Nam haec a Medea petit ut Graecis salutem adferat; ita uirgo consilii cui ipsa fauebat pondus in aliam conuertebat; hoc erat ei ultimum pudoris perfugium, ac primum mendacium. Sed mirum est quantum se ipsa decipiat, uehementi illo amore rapta; putat enim se tantummodo hospiti ad uictoriam subuenire, neque quid uere sentiat dignoscere potest. Cum igitur promisit se ad Hecates templum postero die cum Iasone collocuturam, sola in obscuro cubiculo diffusum in medullis illud uenenum experitur, et clarius quid postulet bona fama, qua et quam caeca ui impellatur agnoscit[3]. Secum sola manens, omni ope carens, huc illuc mente uertitur, quid consilii capiat nescia. Tum Iasonem deserere cogitat, tum ut illi sibique una salutem commodet, uult iuuenem primum liberare, deinde sibi mortem consciscere; immo uenenum parat, quasi rem decreuerit breui agendam; sed iam se uitae lenociniis et uirginum aequalium ludis adhuc delectari fatetur, nec tamen plane uidet hoc lucis desiderium ex amore ipso oriri[4]. Sic in uarias partes mentem trahit, donec, uicto pudore, Iasoni opem ferre parat. Quare cum

1. Apoll. *Argon.*, III, 464

2. Id., III, 636 sqq.

3. De hac persona praesertim aliisque etiam Apollonii personis, uide Hemardinquer, *De Apollonii Rhodii Argonauticis*, Parisiis, 1872, qui elegantissime hos Medeae sensus depinxit.— Cf. Weichert, *Ueber das Leben und Gedicht des Apollonius*. Plura ab eo mutuati sumus in describendis Apollonii et Valerii personis.

4. Apoll. *Argon.*, II, 801 sqq.

iuuenem adit, puellae genis rubor offunditur, obcaecantur oculi, labant genua ; aliquantisper tamen uires suas reficit, ut dulcia Iasonis uerba audiuit. Frustra quoque sensus abdere conatur, dum heroi liquorem illum tradit qui eius corpus a taurorum ignibus et Gigantum ictibus tutum reddat ; quam penitus Erotis sagitta laesa sit declarat, cum Ariadnen inuidiosa quadam aemulatione et tot illustria coniugia memorat, et lacrimas effundit neque ullum aliud officii sui pretium nisi piam memoriam petit[1]. Tum pari amore Iasonis animum incendit, et postquam laeta herois promissa excepit, nihil ad augendam Iasonis gloriam et uirginis infamiam restat nisi ut haec iuuenem in patriam sequatur. Ex quo enim Medea, timore et furore capta, e paterna domo discessit et ad Argonautas confugit, Aeeten iam suspicatum esse dolos nuntians, totam se dedit Iasoni[2]. Nec solum Graeco uiro magicis artificiis aureum uellus tradit[3], sed etiam scelere societatem illam confirmat et, cum Iasone consentiens, in insidias Absyrtum fratrem elicit[4]. Nam scelesta sollertia quidque disponens, infelici illi Aeetae filio mandata refert, quibus, sub nouae proditionis specie, eum ad Artemidos templum arcessit, et uaria munera, in primis Dionysium illud pallium ab Hypsipyle Iasoni olim datum, adiungit. Quin etiam, suae artis non oblita, per aera dulces blandosque odores effundit. Sed iam culparum ac scelerum suorum conscia et praeteritae aetatis acri desiderio perfixa, timet ne Iason fidem rumpat.

δὴ ῥά μιν ὀξεῖαι κραδίην ἐλέλιξαν ἀνῖαι[5].

Iam haec tristia quae in ipso uirginei cubiculi praesenserat sensim maiore dolore secum uoluebat, et cum Argo nauis a Colchis nautis per Oceanum pulsa post multa pericula Alcinoi insulam peteret, eo ipso tempore quo puella Iasoni nuptura erat et sacrum iustumque coniugium initura, dulcis eius cura in ardentem et spe deiectum ac dolore inuidiaque mixtum amorem conuertebatur[6].

Talis est illa Medeae persona quam Apollonius mira arte ad muliebris ingenii imaginem conformauerat, ueritati quam maxime poterat accedens et Euripidis aemulus, qui eandem hanc personam non multum alia specie effinxerat. Quamquam autem Valerio difficile erat post duos illos inclitissimos poetas nouos mores et affectus Medeae induere, tamen puellae sensus aliter depinxit. In quo fortasse minus feliciter ei quam in retractanda Iasonis persona cessit. Neque uero est quod ad criticorum quorundam exemplum Latini poetae consilium et artem hic parui aestimare liceat ; plurima

1. Apoll. *Argon.*, III, 1104 sqq.—Cf. 1025-1062. 1105. Αἰήτης δ' οὐ τοῖος ἐν ἀνδράσιν, οἷον ἔειπας Μίνω Πασιφάης πάσιν ἔμμεναι· οὐ δ' Ἀριάδνῃ ἰσοῦμαι.....

2. Id., IV, initio.

3. Id., IV, 109 sqq.

4. Id., IV, 445 sqq.

5. Id., IV, 351 sqq.

6. Id., IV, 1029 sqq.

enim adiecit quae ad delectandum et mouendum aptissima essent. Primum carminis initio recessisse uidetur illa uirgo, quam splendidissimo adulescentiae flore inter aequales lucentem expresserat Apollonius. At rursus Hecates illa sacerdos et Solis Dei proles, cuius ignes emittunt ocelli, a Valerio inducitur ; quae quidem castissima et festiuissima puellarum manet, neque adhuc saeuis stimulis intra pectus agitatur. Quare tum in Medeae pudore et terribili potestate exprimendis commoratur poeta. Cum igitur Iasoni qui nuper e naui descenderat ancillis comitata occurrit, nullum alium sensum nisi timorem aliquem exhibet. Horrendis enim iam somniis territa, ad Hecates delubrum ut se lustraret progrediebatur, qualis inter Nymphas per amoena rura Diana uel Proserpina solet.

His turbata minis fluuios ripamque petebat
Phasidis, aequali Scythidum comitante caterua.
Florea per uerni qualis iuga duxit Hymetti
Aut Sicula sub rupe choros, hinc gressibus haerens
Pallados hinc carae Proserpina iuncta Dianae,
Altior ac nulla comitum certante, priusquam
Palluit et uiso pulsus decor omnis Auerno ;
Talis et in uittis geminae cum lumine taedae
Colchis erat nondum miseros exosa parentes[1].

Ubi primum hospites illos animaduertit, fugae se committere cogitat, ut timidam puellam decet. Postquam autem Iasonem ante se uidet de itinere et Aeetae regia interrogantem, simpliciter et ingenue respondet, uirum illum cuius ipsa Iuno pulchritudinem auxit admirata ; neque uero ex amplissimis herois gratulationibus ulla amoris scintilla in uirginis pectore accenditur ; Romana uere puella, e nobili loco, mox grauis matrona futura hic adest ; cuius ut uincantur timiditas et pudor, insuperabili fatorum ui multisque ipsorum Deorum conatibus erit opus, nec fortasse Amoris illa sagitta, quam egregie descripsit Apollonius per aera insciae Medeae pectus transfigentem, ad frangendam talem uirtutem sit satis ualida. Hi uero sensus non subito erumpunt, sed inter se excipientes, saepe tardo, at certo gradu producuntur ; noluit enim Valerius Medeam adeo facile amori cedere. Neque hoc est in parua laude ponendum quod aliter ac Graecus uirginis affectus descripserit ; namque cupiditas illa exordiens ex misericordia et admiratione nascitur, deinde sensim augetur. Postquam Iuno, Chalciopes Aeetiadis uultum et habitum gerens Medeam ad moenia turrimque rapuit ut inde proeliantes uiros et in prima acie praeclara agentem Iasonem admiraretur, haec illum amorem iam concepit ex quo tot mala sibi suisque esset attractura. Adest Iunonis et Veneris numen, adest cingulum

1. Val. *Argon.*, V, 341. — Cf. totum illud colloquium, 363-407.

illud omnibus lenociniis imbutum, quod Dearum regina ab Amorum matre nuper mutuata est ; quae quidem labantem uirginis animum continuo sollicitant donec affectuum tumultu incertas dulcesque res optare simul et reformidare adsuescat[1]. Tum adhuc pura neque quicquam incesti secum habens, ad conspicienda certamina comitante Chalciope uel potius Dea, incedit. Unum tamen est quo aliqua dissimulatione uti uideatur ; cum enim Iasonem uidet hostes fundentem, « ceu nescia » interrogat quis sit iuuenis ille tam strenue pugnans ; sed iam agnouit hospitem quem nuper erat allocuta ; tum se uehementer commotam sentit et semper ad Iasonem uisum derigit, nec tamen scit cur ita se habeat.

> Conspicit Aesonium longe caput ac simul acres
> Huc oculos sensusque refert animumque fauentem[2].....

Admiratione autem et misericordia et timore uicissim affecta prout Iason uictor uel telis obrutus uidetur, nouas in se crescere miratur curas ; anxia saepe falsam illam sororem respexit et inde, quasi pueriliter ludens, Iunonis ornamenta Venereumque cingulum ignara contrectat et Iasonem laudans in inconsulta uerba effunditur.

> At regina uirum (neque enim Deus amouet ignem)
> Persequitur lustrans oculisque ardentibus haeret.....
> .....Extremus roseo pudor errat in ore[3].

Cum igitur haec depingit, Valerius multum ab Apollonio discedit et Medeae personae nouam speciem induit. Neque uero Medeae sensus erumpentes eadem ui quam ante Apollonius expressit. Plus est enim apud hanc puellam cunctationis et uere Romani pudoris. Sed tamen praesentis Deae numini cedens, paulisper debacchatur[4], et postquam ipsum patrem audiuit Iasoni saeua uoce ut in Martio agro tauros domaret imperantem, pauore et amore turbatur ; tum huc illuc anxia currit, tum in languidam desidiam et singularem

---

1. Val. *Argon.*, VI, 470 sqq.
> .....Dedit acre decus fecundaque monstris
> Cingula, non pietas quibus aut custodia famae,
> Non pudor, at contra leuis et festina cupido
> Affatusque mali dulcisque labantibus error
> Et metus et demens alieni cura pericli.

2. Id. VI, 579.

3. Id., VI, 657... 674.

4. .....VI, 755-760.
> Ut fera Nyctelii paulum per sacra resistunt,
> Mox rapuere Deum iam iam in quodcumque paratae
> Thyiades, haud alio remeat Medea tumultu,
> Atque inter Graiumque acies patriasque phalangas
> Semper inexpletis agnoscit Iasona curis
> Armaque quique caua superest de casside uultum.

Hic Valerius rem in maius extulit. Non adeo tum mente Medea turbatur ut haec ueri similia sint.

parentum quos mox proditura est caritatem et uocis blanditias confugit; qualis catula rabie percita imminenti saeuitiae molles affectus obtendit[1].

.....Subitoque parentibus haeret
Blandior et patriae circumfert oscula dextrae;
Sic adsueta toris et mensae dulcis erili
Aegra noua iam peste canis rabieque futura
Ante fugam totos lustrat queribunda penates.

Quod est poetae a uulgaribus cogitationibus abhorrentis et hominum mores satis diligenter obseruantis. Sed plerumque in dubia illius uirginis mente pudor adhuc amori praestat, nec plane uirtutis uis frangitur[2]; quod ipsa Iuno non sine quadam aegritudine eo ipso tempore notat quo Medea amoris sui conscia fieri coepit. Neque tamen primum Graeco iuueni opem ferre cogitat, sed ingenti tumultu uaria dubiaque in animo uersat, quae ex intimo corde surgentia non componere potest. Nam fortissimo Iasonis ad Aeeten responso commota est; quem dum cernit exeuntem aliquantisper commorari cupit; digredientis uiri gressum cohiberi et ad se reduci fores et pauimentum ab illo calcatum uelit, quo oculos suos amati specie diutius satiare possit. Tum sensus nec celare nec libere aperire, nec tacere ipsi nec fusius eloqui puellae licet; frustra ad mille artes confugit ut e mente sua omnes illas res expellat, sed amor penitus pectori eius inhaeret.

Quamquam Valerius hanc operis partem sui iuris et uere propriam effecit, tamen nonnulla ex Apollonio desumpsit; ibi quoque multum distat inter illius uim et grauitatem et huius simplicem elegantiam; sic uersus illos inter se conferre licet, quibus uterque Medeae affectus cum uirgo illa digredientem Iasonem contemplatur expressit.

.....νόος δε οἱ ἠΰτ' ὄνειρος
ἑρπύζων πεπότητο μετ' ἴχνια νεισομένοιο[3].

Illa domum atque ipsos paulum procedere postes
Optat et ardentes tenet intra limina gressus[4].

Dicas Apollonii leuissimum uersum circum herois caput uolitare; sententiae autem pondere Valerius fatalem et tristitia refertum insuperabilemque amorem depingit. Eadem fere de illis uersibus adferri possunt.

τίπτ' ἐμὲ δειλαίην τόδ' ἔχει ἄχος; εἴθ' ὅγε πάντων
φθίσεται ἡρώων προφερέστατος, εἴτε χερείων

1. Val. *Argon.*, VII, 122 sqq.
2. Id., VII, 153 sqq.
3. Apoll. *Argon.*, III, 446-447.
4. Val. *Argon.*, VII, 109-110.

ἐρρέτω· ἦ μὲν ὄφελλεν ἀκήριος ἐξαλέασθαι.
.....οἴκαδε νοστήσειε φυγὼν μόρον· εἰ δέ μιν αἶσα
δμηθῆναι ὑπὸ βουσί, τόδε προπάροιθε δαείη,
οὕνεκεν οὔ οἱ ἔγωγε κακῇ ἐπαγαίομαι ἄτῃ [1].

Pergis, ait, demens, teque illius angit imago
Curaque qui profuga forsan tenet alta carina,
Quique meum patrias referet nec nomen ad urbes?
Quid me autem sic ille mouet, superetne labores,
An cadat et tanto turbetur Graecia luctu?.....
O utinam et tandem non hac moreretur in urbe!
Namque et sidereo nostri de sanguine Phrixi
Dicitur, et caram uidi indoluisse sororem;
Seque ait has iussis actum miser ire per undas.
At redeat quocumque modo, meque ista precari
Nesciat atque meum non oderit ille parentem [2].

Vides quantum Valerius Medeae sollicitudines et grauem religionem et pietatem erga parentes auxerit; cui genuina uirtus et patria reuerentia unicum sunt praesidium. Sed quantum ignara uoluptati cedit, cum pudorem et ardentes illos affectus inter se concilians, mente turbata pollicetur se mortuo heroi iusta soluturam! Haec est ultima iam lassae uirtutis contentio.

.....Si quando fuerit tamen ulla potestas,
Illum ego, qui diris cinis ultimus haeserit aruis,
Ossaque, quis tauri saeuusque pepercerit ignis,
Componam sedemque dabo. Fas tunc mihi manes
Dilexisse uiri tumuloque has reddere curas [3].

Nihil autem tale Graecus poeta inuenerat.

Non igitur Chalciopes illius quae maternos sensus mira ueritate effundebat precibus, sed ipsius Veneris potentia opus erit ut uirginis animus frangatur. Dea enim ipsa, Circes habitum gerens, ad seruandum Iasonem eam impellit; sed quamquam « ex machina » descendere uidetur, singularem uim ac potestatem prae se fert, cum tam ardentibus suauibusque uerbis Medeam perturbat et tam artificiose supplicem Iasonem depingit ut puellam amorem fateri et amatum seruare cogat [4]. Frustra haec luctatur et in diuinum numen rebellat :

Iamque toro trepidas infelix obstruit aures
Nec quo ferre fugam, nec quo se uertere posset
Prensa uidet; rupta condi tellure premique
Iamdudum cupit ac diras euadere uoces [5].

1. Apoll. *Argon.*, III, 464 sqq.
2. Val. *Argon.*, VII, 127 sqq.
3. Id., VII, 205-210.
4. Id., VII, 210 sqq.
5. Id., VII, 296-301.

Tum demum amore et pudore inter se commissis, paulum abest quin uirgo illa infelix, ultimo pereuntis uirtutis conamine in Deam ipsam uiolentas manus exerceat.

> .....Vix animos dextramque tenens, quin ipsa loquentis
> Iret in ora Deae[1].....

Sed furor ille, in uanum euadens soli amori cedit, siue regina ad incertos casus se praecipitem rapi sinit, qua elabatur et quo effugiat inscia, siue de sua ac de Iasonis salute uicissim desperat, uel mortem sibi consciscere cogitat, siue cum iuuene mori aut uiuere constituit :

> Contra saeuus amor, contra periturus Iason
> Urget et auditae crescunt in pectore uoces.
> .....Pulsat humum manibusque immurmurat uncis
> Noctis eram Ditemque ciens, succurrere tandem
> Morte uelint ipsumque simul dimittere leto,
> Quem propter furit;.....
> Saepe suas misero promittere destinat artes,
> Denegat atque una potius decernit in hora ;
> Ac neque tam turpi cessuram semper amori
> Proclamat neque opem ignoto uiresque daturam.....
> .....hunc solum propter seu uiuere gaudens
> Siue mori, quodcumque uelit[2].....

Sed nunc, cum iam Dea puellam sequi iusserit, nihil ei restat nisi ut ad Iasonis salutem suamque perniciem euolet. Nunc tacet uirtus, et

> .....abscisum quicquid pudor ante monebat[3].

Ecce progreditur Hecates sacerdos, intempesta nocte, sacra uerba pronuntians et totam rerum naturam solito ordine deturbans, donec Iasonem adiit cui magica gramina, uictoriae pignus tradit. Tristis tamen extremoque pudore commixtus reginae sermo.

> .....Sed fatis sum uicta tuis[4].....

Irreuocabili enim ui utriusque fata alterum alteri nectuntur et iam heros ac puella pacto quodam inter se obstrinxerunt; neque uero, ut apud Apollonium, ad uota tantummodo confugerunt, sed mutua caritate fretus, fidem uterque dedit et accepit; nam, postquam Iason exclamauit, ardens :

> Respice ad has uoces et iam, precor, annue, coniunx[5],

Medeae silentium pro adsensu est habendum.

---

1. Val. *Argon.*, VII, 293.
2. Id., VII, 307... 312... 317... 351.
3. Id , VII, 324.
4. Id., VII, 446.
5. Id., VII, 497.

Sed non diuturna manet communis illa laetitia; Medea enim non sine uehementi desiderio hoc consilium patriam et patrem deserendi cepit; cuius animus incerta futurarum calamitatum formidine distrahitur, sed interdum spes nouas concipit; nunc immensa fluctuum spatia iam traiecisse uelit, nunc autem, acri dolore perfixa, optat ut cum amante turbidis undis obruatur[1]. Aegre a patria domo ac uirginali cubiculo, torum saepius amplexa, diuellitur, nec medicamina uenenaque omittit, quasi praesentiat illa sibi utilia fore. Longis igitur singultibus ac precibus exul illa regina Iasonis gratulationi respondet, de futuro anxia[2]; neque uero potest sine lacrimis parentum dolorem sibi fingere. Quae libentius quam Apollonius Latinus poeta uidetur explicare. Ab hoc enim tempore per illam amantium mutuam caritatem irrepit suspicio; nulla hic plane adest simplicitas, nulla tenerorum affectuum aperta significatio. Nam puella timet ne pro tot beneficiis et aureo uellere tradito, ipsa, proelia uitandi causa, fratri patrique reddatur. Itaque supplicis feminae habitu, in puppi sedens, Palladis complexa signum, famula potius quam regina adest[3]. Vix etiam mala sua obliuiscitur, cum ad aras, adstante Iasone, incedit ut sacro coniugio iungantur; Sol ipse uidetur splendidioribus radiis ut hymenaeum ita neptis suae pectus illustrauisse, nec tamen fausta omina a Mopso nuntiantur[4]; iam Absyrtus occurrit; quare eadem illa coniunx non inutile putat Iasoni in memoriam beneficia sua et fidem communem et sacra promissa reducere, quasi iam se ab illo sentiat derelictam et commissae culpae poenam luere inceperit.

Equidem non Valerio uitio uertendum duco quod eius in memoria uersata sint, dum Medeam describeret, illa scelera quae mox esset admissura; interfectos enim Iasonis et Medeae pueros et exustam Creusam repraesentat[5]; quae omnia uel in delubro ab artifice quodam expressa refert uel somniantis puellae oculis subiecta. Neque sane eis adsentimur qui hoc uituperauerunt; nam poeta uidetur nobis potius esse laudandus quod quae futura essent in praesentibus ipsis rebus indicauerit; ex hoc enim subtilius effingitur mens humana, cuius sensus plerumque inter se arte cohaerent. Quapropter eadem illa adulescentula quae eximium pudorem et caritatem erga parentes exhibebat, nunc ad atrocissima facinora uidetur parata.

Ceterum libentius ad sagae artificia et horrendos cantus quam Graecus poeta spectauit. Cum enim primum ante oculos nostros

1. Val. *Argon.*, VIII, 1-16.
2. Id., VIII, 45.
3. Id., VIII, 202 sqq.
4. Id., VIII, 243 sqq.
5. Id., V, 443; VII, 141 sqq.
6. V. Hemardinquer, *op. laud.*, p. 160 « Valerii autem animo omnia saeuissima obuersantur quae uniuersam Medeae famam infament. »

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ DE PARIS

Medea obuersatur, ad Hecates delubrum tendit. Deinde ubi Iuno ad seruandum heroem Medeae ministerio uti constituit, terribilem illam uim designat Hecatesque uatem ad uerum exprimit; in quo apparet Valerium Lucani Thessalidum meminisse.

> [Iunonis] Mens omnis in una
> Virgine, nocturnis qua nulla potentior aris.
> Illius ad fremitus sparsosque per auia sucos
> Sidera fixa pauent et aui stupet orbita Solis,
> Mutat agros fluuiumque uias, suus alligat igni
> Cuncta sopor, recolit fessos aetate parentes,
> Datque alias sine lege colus[1].....

Ipsa uero puella, cum Veneris uestigiis ingrediens, ad Iasonem illa medicamina fert quibus ille facile possit contra ignem muniri taurosque uincere, magicos cantus in uia pronuntiat et rerum naturam uniuersam perturbat.

> Et iam iam magico per opaca silentia Colchis
> Coeperat ire sono, montanaque condere uultus
> Numina, cumque suis auerti collibus amnes,
> Iam stabulis gregibusque pauor strepitusque sepulchris
> Inciderat; stupet ipsa graui nox tardior umbra[2].

Denique, ut Iasoni quanta pericula, etiamsi in taurorum certamine uincat, sint adeunda, et suam ipsius potestatem declaret, ex intima silua carminibus excitatum draconem, aureae pecudis custodem, uiri oculis subicit, qui monstri sibilos miratur atque horret[3]. Iam significauimus quanta cura poeta magicorum graminum capsas et draconem sopitum domitumque narraret; hic praesertim neque sagae artem, nec uarios draconis motus illam potentiam frustra detrectantis, neque Aeetiadis desiderium neglexit, cum familiarem anguem inanimum iacentem conspicit sacerdos[4].

Multum igitur Valerius in describenda Medeae persona a tritis uiis et communibus sententiis discedebat; sic Hecates sacerdotem in bono lumine collocare uoluit; inde cum magicam eius artem et scelera legentibus proponeret, misericordiam illam quam sola amoris descriptio mouisset, nimio fortasse horrore augebat. Omnes autem eiusmodi res cum poetae et aequalium eius ingenio aptae erant, tum a Lucano olim splendide tractatae. Ceterum, cum huic Colchidis magicae potentiae libenter insisteret, diligentius quam ipse Graecus, qui tamen doctissimi poetae famam tulit, ad ueteres fabulas se conformabat, ubi Aeetae filia horrenda et speciosa simul saga uidetur.

Si uero penitus in sensuum fontem quibus afficitur Medea intro-

1. Val. *Argon.*, VI, 439 sqq.
2. Id., VII, 389 sqq.
3. Id., VII, 515-539.
4. Id., VIII, 68-121.

spexeris, occurret tibi Valerium ita puellae ingenium informasse ut minus acri uoluntate et studio in Iasonis amorem impelleretur; aliquid enim apud illam obserues quod animi pudici quandam mollitiam et languorem designet. At saeua illa ars rerum naturam perturbandi et haec animi dulcedo apud unam puellam parum inter se consociatae uidentur, et in pulchri illius uultus quem effinxit delineamentis conspici possunt aliqua, ut ita dicam, inaequalia. Sed, id quod uere nouum est, in exprimendis amantium affectibus maiorem grauitatem adhibuit; hic uerecundia temperatur ardor, et tristitia quaedam media e uoluptate surgit; fata utrumque urgent, neque uero solum Medea praesentium scelerum, sed etiam futurorum conscientia agitatur. Quae omnia Apollonio leuiora uidebantur, neque quicquam amorem esse putabat nisi dulcem quendam et breuem lusum. Tragici autem illi Valerii amores nescio quam uere peculiarem notam exhibent, quam in recentiorum scriptorum operibus reperias. Sed, ut antiquum poetam decebat, materiam ornandi et augendi cupidus, Deos ipsos induxit agentes et Medeae amori fauentes. Adest enim Iuno, splendent Veneris zona et torques, et Paphia ipsa domina indomitae puellae animum inimicissime subigit. Hic tamen poetae uitium quoddam obserues, dum ad optima conatur. Medea enim illa non satis per se agit neque sui compos est, cum a tot Deis quo uolunt perducitur; nos autem minus intellegimus quibus rationibus huc uel illuc se uertat. Non tamen culpandus esse uidetur poeta quod nouam personam describere et alia uia legentium animos mouere ac delectare uoluerit; Apollonius autem plane dissimile consilium in depingendis Medeae sensibus et moribus adhibuerat; qui potissimum nascentem, deinde crescentem nouosque affectus concitantem, denique erumpentem in puellae animo amorem expresserat; neque est quisquam qui tam apte humanam naturam reddiderit. Haec est uera uirginis cuiuslibet imago, quae quidem amore, non dicam a Venere, ad dulcem uiri coniunctionem impellitur. Atque haec omnia cuiusuis temporis uel regionis uel condicionis uidentur esse et ideo ad nos mouendos post tot annos adhuc sunt commoda. Quare Valerius, quippe qui perfecto illo opere perfectius quoddam opus edere conaretur, sine ulla famae deminutione secundum locum obtinere debebat. Ceterum non id erat huius ingenium ut naturam humanam in describendo totam adsequeretur et omnes animi affectus, studia et amores et iras et dolores uero ac subtili elegantique stilo quam acutissime notaret et adumbraret[1]; cui contra conueniebant magna et elata et splendida.

1. V. Hemardinquer, *op. laud.*, p. 78. De Iasone Absyrtum occidente loquitur : « Istiusmodi autem hominibus qui inter bona malaque uersati neutri uiae firmiter insistunt, sed fluctuant, re praeter omnium exspectationem magnifice aut humiliter gesta, non tam admiratio uidetur inesse quam naturae et morum ueritas. »

Quae igitur in Medeae fabula augeri et dilatari et largam materiam praebere poterant, ea potissimum elegit; at certe non ita a ueritate ut temere iniuriaque nonnulli contenderunt abhorruit; nam uirginis pudorem sensim in ardorem uersum diligentissime depinxit.

Utique magna laus Valerio tribuenda est quod Iasonis personam pulchre retractauerit et noua mente nouisque animi motibus affecerit et prope dignam protulerit quae supra ipsum Aenean in quibusdam rebus extolleretur. Ceterum omnes illae primarum uel secundarum partium effictae personae ad magna nituntur et communes humanae naturae fines supergrediuntur. Omnia enim quae heroem ad hominis cuiusuis condicionem redigant obterit et quodammodo omittit; nam raro, immo numquam de consilio haerentem uel lugentem finxit Iasonem; neque uero Medea, ut iam significauimus, sola infelicis et uehementer exturbatae feminae specie apparet. At heroes illi non solum intima ui impulsi et constantiae suae innixi sed Deorum etiam numini cedentes uel aduersantes, ad fortia et magna et horrenda non sine quadam ferocitate conantur. Spirat igitur tragicum illa poesis, sed minus quam eximia Apollonii ars morum ueritatem obseruat.

X

De Deorum ministeriis

In Deorum ministeriis adhibendis plane ab Apollonio digressus est. Ille enim, ut plerique eiusdem aetatis poetae, etiamsi ueteres fabulas narrabat, intra humanae naturae fines uirorum factorumque descriptionem circumscribebat et, ut ita dicam, epicam poesim e caelo ad terram demittebat, diuina numina procul a uulgi oculis remouens nec quicquam nisi hominum sensus libenter explicans. In quaque enim re hanc peculiarem artis suae notam exhibebat. Tam enim facile Deos neglegit ut praeter poetarum consuetudinem raro et quasi aegre ulla Deorum Musarumque precatione utatur. Sane in primi libri prooemio Phoebus, tertii autem Erato, quarti denique una ex Iouis filiis inuocatur, sed sine ullo animi motu et parum accurate. Parui enim Musarum fabulas aestimat.

Deos tamen nonnumquam inducit, sed non adeo libenter his operis sui partibus insistit. Quorum nomina uariasque fabulas frequenter adfert, nec tamen ipsi in argumento ingentem obtinere locum uidentur. Bis tantum Phoebus ab Argonautis conspicitur; primum in insula Thyniade sub pulcherrimi adulescentis specie rapido gradu crinibusque effusis, arcum manu tenens et sonoram pharetram agitans incedit, dum sub eius pedibus tota insula tremit[1]. Idem ille, qui Argonautarum inceptis fauet, heroibus per densas nubes mari errantibus ueram uiam demonstrat, cum e summa rupe splendentem arcum tamquam ignem protendit[2]. Sed ut parum agentem Phoebum induxit poeta, ita multas de illo fabulas collegit: quem obiter depingit puerum sagittas in Tityum immittentem[3]; alias uero diuersas eius appellationes doctissime explicat[4], uel fingit ex eiusdem lacrimis ortum electrum[5]. Haec autem sunt potius mythici cuiusdam scriptoris quam poetae argumentum Deorum muneribus et operibus ornantis.

Maiorem locum in Apollonii carmine obtinet Hera. Quae cum Pallade Aphroditen adit et Amorum Deam orat ut in Medeae ani-

1. Apoll. *Argon.*, II, 676-696.
2. Id., IV, 1704 sqq.
3. Id., I, 759-762.
4. Id., II, 702-713.
5. Id., IV, 611-618. De illa fabula, cf. De la Ville de Mirmont, *la Mythologie et les dieux dans les Argonautiques et l'Énéide*, 1894, lib. III, cap. v.

mum uehementem Iasonis amorem iniciat[1], deinde heroem nube inuoluit cum hic ad Aeetae regiam incedit[2]. Quin etiam, res ipsas impellit, siue Medeam domi ita retinet ut puella uirum conspiciat[3], siue reginae ipsa obstat, cum paululum abest quin haec sibi mortem consciscat[4], eamque a caeco furore ad placidiores sensus reducit, siue Aeetiadi timorem incutiens, uirginem illam impellit ut cum Iasone fugam capessat.

καὶ νύ κεν αὐτοῦ τῆμος ὑπὲρ μόρον ὤλετο κούρη,
φάρμακα πασσαμένη, Ἥρης δ' ἀλίωσε μενοινάς,
εἰ μή μιν Φρίξοιο θεὰ σὺν παισὶ φέβεσθαι
ὦρσεν ἀτυζομένην[5].....

Haec eadem Argonautarum inceptis fauet, cum reditum in patriam meditantur et ad Histrum flumen splendentem quandam lucem per caelum immissam cernunt, quae rectum iter significat[6]. Deinde, uiolentam tempestatem concitans, Colchorum classem disturbat[7]; paulo post summa illa caeli terrarumque domina peropportune procellam mouet ut Argo nauis ad Electridem insulam propellatur eoque citius Iason et Medea qui Absyrtum crudeliter trucidauerint caedem piaculis luant[8]. Immo non dedignatur ut longe ab Oceano errantes reuocet, exclamare[9], et in Celticis paludibus impeditam nauem ipsa manu alleuare[10]. Multa uero Deae potestatis et fauoris signa praeterimus. Quae poeta leuiter attigit ; cum plerumque omnia illa diuina officia strictim describeret, semel tantummodo fusius agentem Deam effinxit : quae Irim de caelo demittit Thetidi et Hephaesto et Aeolo Deorum reginae mandata ferentem, ut Argonautae saeuae Charybdis angustias superent[11]. Semel quoque ipsa ueros sensus exprimit: quot enim precibus, quam dulci et apto sermone Cyprim exhortatur ut Medeae et Iasonis amori faueat eosque mutuae caritatis nodis implicet! Quam libere Iasonis beneuolentiam memorat et se aduersus eum profitetur gratissimam[12]!

Palladi ipsi, quamquam Argum in exstruenda naue adiuuit, non multum in rebus adesse contigit ; de Argonautis tamen sollicita est nec quicquam antiquius quam heroum illorum salutem habet. Opem uero singularem Argonautis adfert cum nauis in Cyanearum gurgite iactata in summo periculo uersatur; tunc e caelo nube inuoluta descendens, heroum conatus diligenti caritate prosequitur et tandem cum iam prope frangitur puppis, in saxum sinistra manu innixa nauem simul dextra propellit.

1. Apoll. *Argon.*, III, 36 sqq.
2. Id , III, 210 sqq.
3. Id., III, 250 sqq.
4. Id., III, 817 sqq.
5. Id., IV, 20.
6. Id., IV, 294.
7. Id , IV, 509 sqq.
8. Id., IV, 574 sqq.
9. Id., IV, 640-644.
10. Id., IV, 641.
11. Id., IV, 751-964.
12. Id., III, 55-76, 108-111.

καὶ τότ' Ἀθηναίη στιβαρῇς ἀντέσπασε πέτρης
σκαιῇ, δεξιτερῇ δὲ διαμπερὲς ὦσε φέρεσθαι[1].

Attamen, etsi Argonautas e caelo beneuola conspicit, non ideo ad suum officium pertinere putat res ad euentum mouere, sed contra, pudore fortasse aliquo Dea illa uirgo silet, cum ad Aphrodites et Herae colloquium adest, ubi de Iasonis fato agitur, et in Herae uoluntate totam fere causam reponit[2].

Plus habent momenti dolosa Veneris artificia, cuius egregiam pulchritudinem et munditias tam eleganter pinxit Apollonius; sed nihil agit quod non cum eius potestate congruat, et ad Iasonem propitia adest cum multae res iam antea inceptae ac perfectae sunt. Immo Eros, potius quam ipsa eius mater principem locum obtinet, quod sagitta illa, ubi primum stridens per auras euolat, secum Iasonis et Medeae et omnium Argonautarum fata uno ictu rapuit[3].

At, quod est notatione dignum, poeta nihil prope de Ioue refert, neque illi cum Argonautis quicquam commune attribuit. Non autem hoc Apollonii neglegentiae, antiquitatis praecipue studiosi uariasque hominum mentes libentius depingentis attribui debet; at contra ea ratione magnam summi illius Dei reuerentiam praestat. Nam Iuppiter ut parum cum hominibus uersatur, ita imperium suum confirmauisse et nouas uirtutes sibi uidetur parauisse. Deorum enim ille hominumque pater nunc solus procul ab aliis numinibus in aetherea sede commoratus et a uariis orbis terrarum rebus mortaliumque oculis remotus, mundum e summo caelo regit; nulla sane figura indutus conspicitur et semel tantum fulmen iecit ut minantes Colchos terreat, quasi familiarem diuini illius teli usum amiserit; neque uero iram suam ipse significat, sed per alios ostendit. Quem propter occisum Absyrtum irasci Argonautae ignorent, nisi intercedat Hera et nauis ille malus ex Dodonaea quercu factus eos admoneat[4]. Qui quidem omnia uidet[5], neque eum fugit ullum facinus seu rectum seu prauum[6], neque est quicquam quod non eius uoluntate accidat[7], ita ut cum summi Dei numine fatum ipsum coniungi uideatur[8]; ceterum ingentem erga miseros et iustos misericordiam uel beneuolentiam exhibet[9]. Eo igitur minore laudis splendore conspici potest quo in altiore solio consedit.

---

1. Apoll. *Argon.*, II, 600-602.

2. Cf. De la Ville de Mirmont, *op. laud.*, lib. II, cap. 3, pp. 419 sqq, in primis, 436.

3. Apoll. *Argon.*, III, 280-291.

4. Id., IV, 576-590. Cf. De la Ville de Mirmont, *op. laud.*, lib. II. cap. I, p. 190 sqq.

5. Apoll. *Argon.*, II, 1125.

6. Id., IV, 1098.

7. Id., II, 154.

8. Id., I, 1315 sqq.

« τίπτε παρὲξ μεγάλοιο Διὸς μενεαίνετε βουλὴν
Αἰήτεω πτολίεθρον ἀγειν θρασὺν Ἡρακλῆα;
Ἄργει οἱ μοῖρ' ἐστὶν ἀτασθάλῳ Εὐρυσθῆϊ
ἐκπλῆσαι μογέοντα δυώδεκα πάντας ἀέθλους.... »

9. Id., III, 985, καὶ Διὸς ὃς ξείνοις ἱκέτῃσί τε χεῖρ' ὑπερίσχει. Cf. II, 215, 1134; III, 193 etc.

Minores etiam partes agunt Libycae Hesperides et marina illa numina, Sirenes et Triton et Glaucus; hoc autem non est mirum, quia Apollonius ea aetate uixit qua mens humana ad religionem minus prona erat neque tamen in antiquas fabulas indagandas non multum operae impendebat; hi quidem Dei peropportune magno aliquo munere erga nautas funguntur, deinde subducuntur; sic Libycae Nymphae heroibus fame et siti consumptis et in harena iacentibus opem ferunt[1]; Triton quoque, seu iuuenis, seu piscosi monstri figura, eis indicat qua ex Tritonide lacu exire possint[2]; quod sane erat haud paruae mercedis; Glaucus autem iam socios de Herculis fato solatus inclita fata quae heroem manebant patefecerat[3].

Omnes autem illi Dei, quamquam ita in terris adsunt ut Argonautarum rebus faueant, non diutius tamen apud eos commorantur, sed breui ex eorum oculis eripiuntur; quorum sic quodammodo obteruntur dignitas et potentia, quia poeta nullum eis concedit tempus quo heroibus ingentia ministeria praestare et pro uiribus suis agere possint. At nonne sapienti et acuto et ueritatis studioso ingenio obsecutus, aliquid de arte sua detraxit? Optes enim ut illae picturae plus coloris et amplitudinis exhibeant, et illic nescio quid siccitatis obserues. Ceterum nobis placent praeclara Deorum facta, si rationibus quibusdam et affectibus siue acribus siue mitibus innituntur; contra cum sine ulla intima causa et quasi leuiter agunt, nobis tantummodo uidentur a poeta quod sic opus esse iudicauit inducti, et plane dici possunt e machina descendere. Parum autem curauit Apollonius ut sensus exprimeret, quibus huc uel illuc uerterentur et Argonautarum nauigium oculis et attento animo prosequerentur. Sic de illa singulari caritate et necessitudine tacet, qua Phoebo Iasonis fortuna maximae curae est; nihil enim Iason omittit ut gratissimi erga Phoebum animi pignora praestet frequentiaque illi in Pagasea terra et apud Cyzicum et apud Phineum et in Thyniade insula sacra facit. Sero tamen poeta huius praecipuae erga Phoebum pietatis ueram causam adduxit; nam strictim de quodam felici Pythiae responso pauca rettulit.

.....ἐπεὶ μάλα δέξια Φοίβος
ἔγχρι[4].....

Quae superbe Iason ipse meminit et memorat; cum autem Apollonius ultimam fere operis sui partem attigit tum de duobus tripodibus loquitur quos Deus Iasoni tradiderat, et imperatorem fingit hos Hyllaeis seruandos relinquentem[5]. Sic Apollonius omnem oc-

1. Apoll. *Argon.*, IV, 1306 sqq.
2. Id., IV., 1600 sqq.
3. Id., I, 1310-1326.
4. Id., I, 301. — Cf. 359, 410.
5. Id., IV, 529-536.

casionem diuinos sensus introspiciendi et illustrandi neglegit. Quapropter ut aperte, quamuis nimium moderate, Pallada Iasoni fauentem effinxit, ita parum utile putauit quantam operam ad struendam nauem attulisset ostendere, aliquot uersibus tantummodo usus, quibus praeclarum illud munus quasi in transitu significatum est[1]. Fatebimur quoque nos non plane intellegere cur Hera tam impense Iasonem tueatur et quomodo aduersos et inter se pugnantes sensus conciliare possit, quippe quae erga Thessalum benefica, erga Herculem sit inimicissima. Quid enim proderat eam libenter herois caritatem grato animo rependere et de illo die meminisse, quo sub anus cuiusdam specie in terram ut hominum mentes et studia experiretur euecta, a Iasone adulescente trans Anaurum flumen benigne portata esset, si quidem Herculem unum ex firmissimis et fortissimis ducis comitibus in multos errores multosque labores saeuissima deduxit[2]? Neque uero satis dilucide apparet Deam illam non solum leuis sui mariti filium odio persecutam esse, sed etiam pertinacem in Pelian dolorem percepisse quod ab illo principe olim in conuiuio neglecta et derisa esset[3]. Hae autem res, si uellet poeta, depromi poterant, quae legentis animum mouentes uel delectantes, significauissent quatenus Dea, Argonautis frequenter auxiliata eisque reditum maturans, sibi optatam ultionem pararet. Ut breuiter dicam, Apollonius quodcumque Deorum gestis et ministeriis rationem quandam adicere poterat, id omne omisit neque satis diligenter eorum sensus depinxit.

Sane Apollonius, dum illam Iouis personam effingit, ingentem et uere pulchram diuinae potestatis imaginem secum in animo uidetur habuisse, quam nullus non, dummodo e philosophiae fonte hauserit, admirari debeat. Sed tamen plerique Dei illam *poeticam* magnitudinem exuerunt, qua apud Homerum erant ornati. Nam antiqui illi Dei, quamquam eorum species quodammodo puerilibus et ingenuis mentibus uidetur esse efficta, magnam uim et maiestatem praeferunt, quippe qui ipsius rerum naturae et totius mundi sint, ut ita dicam, partes animatae ; quales depinxit Homerus, siue ex aetherea sede nitentes homines benignis uel aduersis oculis conspiciunt, uel propter illos iurgiis inter se contendunt ; siue humana specie induti inter mortales uersantur ut aliis faueant, aliis aduersentur, bona malaque ciuitatibus singulis et hominibus adferentes. Nihil autem tale apud Apollonium reperias ; hic enim Iouis fulgura silent, neque summus ille Deorum hominumque pater ullo nutu

1. Apoll. *Argon.*, I, 109 sqq.

2. De illa quaestione uide De la Ville de Mirmont, *op. laud.*, III, 2. Qui tamen, ad fabulas ipsas in primis respiciens, tales difficultates neglegit. — Cf. Hemardinquer, *op. laud.*, III, de Deis, pp. 36 et 45.

3. Apoll. *Argon.*, I, 13, 14 ; III, 64, 65, 1133.

Olympum quatit ; non conspicitur clamans uirgo Pallas splendida lorica et cristata galea et longa hasta et uasto clipeo induta. Nullus Ares per agmina euolat, atrocia uerba profundens et tumultu omnia implens. Non e summo aethere nube decenter subleuata descendit Cypris, Dearum pulcherrima. Haec uero non sub crudelis eiusdemque dulcis illius Deae iam imagine uidetur, quae cunctas res ornare et recreare humanaque corda uersare ac torquere ferebatur. Sola uero in cubiculo sedet, aduersus ostium, aureoque pectine flauos crines in candidis umeris effusos diducit et egregie comit. Quam dicas esse unam ex eis matronis quae Ptolemaeorum aulam frequentabant ; domesticis enim rebus multum temporis impertit et omnia domi diligenter disponit et subtili ac delicata mente hospites excipit, leporem dicendi et honesta colloquia affectans, urbanitatem et dulcedinem redolentibus uerbis aptissime usa. Mater quoque illa fallacem istum puerum amat, cuius uis tantum a mortalibus reformidatur, nimiaque indulgentia eius uitiis parcit, quae tamen deplorat et, ut solent pleraeque matres, agnoscit.

Quid de Hera dicam ? Firmiorem certe et constantiorem animum praefert, sed nihil agit quod non mortalis aliqua femina audere possit. Pallas quoque paruum auxilium Argonautis adferre uidetur, neque satis certa consilia adhibet : quam quodammodo cum illis mulieribus compares, quae nulli marito occurrerunt et uirgines medium iam aetatis cursum tristes et morosae et timidae peregerunt.

Apollonius igitur ad pingendos hominum sensus potius quam ad exprimendam Deorum magnitudinem respexit ; summi tantummodo Dei praeclare figuram adumbrauit, sane quia hic suo ipsius ingenio sponte obsequebatur ; eo enim tempore philosophi Deum ad unam speciem redegerant et procul ab hominibus remouerant. Quare poeta libentius humanae quam diuinae antiquitatis fabulas colligebat, quia sacris, aequalium suorum instar, parum fidei praestabat. Inde fit ut Herae uel Cypridi pulcherrimarum mulierum mentem et decorem et consuetudinem attribuerit. Ceterum nouae cuiusque rei studiosus, quicquid iam poetarum ingenio et usu frequenter tritum erat despexit, omnemque illam asperam Deorum uim ut nimis Homeri nota impressam reicere constituit.

Contra Valerius, quamquam ingenium illud Graeci poetae sapiens et acre et omnis ueritatis cupidum nullo modo aequare potest, in hoc tamen haud infeliciter plura noua attulit ; nempe Deorum gesta in tam bono lumine collocauit ut materiae pulchritudinem et argumenti dignitatem diligenter auxisse uideretur, docti saepius poetae, sed raro philosophi partes sustinens[1]. Primum enim plures Deos

1. Hoc spectat ad illam rationem qua fatum nihil aliud esse quam ipsam Iouis uoluntatem intra naturales quosdam terminos inclusam probare conatus est. Quod infra explicabimus.

quam Apollonius induxit, et paulum abest quin ad unum in poemate agentes conspiciantur quicumque Romae in delubra admissi et publicis sacris erant honorati. Illic adest summorum Deorum corona, illic inter se colloquuntur uel separatim hominum sensus quocumque uoluerunt impellunt. Ipsi quoque iracundiae uel beneuolentiae cedentes, uarios edunt affectus. Pro sua quisque uoluntate agere uidentur Iuppiter et Iuno et Pallas et Venus et Neptunus et Cybele, atque etiam plures minores, quales Mars et Boreas et Sol. At neque Apollini neque Amori praecipuas partes tradidit. Non semel tamen memoratur splendidus ille Dianae frater; immo fingitur in hac carminis parte Iouem compellans, ubi poeta, extra argumentum ipsum paulisper euadens, Herculis praeclara facinora et Prometheum liberatum refert[1]; sed in flectendis impellendisque rebus nullius fere momenti est ille Deus, futuri praenuntius[2]. Amor autem plane abest, neque sagitta ulla, per aera stridens, acri cuspide uirginis pectus transfixit; sed ut Amorum exercitus obiter describitur[3], ita Veneris zona quam Iuno induit eandem illam uim exercet ac uehementer Medeae affectus concitat. Nec mirum est quod neglegatur Eros, quia eum Graeci magis quam Romani colebant. Mars contra et Neptunus primas partes habituri erant, quorum hunc tam arduae nauigationi in imperii sui finibus peractae consulere decebat[4], illum autem, ut summum bellorum concitatorem, Orientis et Septemtrionis Barbaris gentibus bello acerrimis fauere[5]. Sol ipse, Colchorum regis pater, non alienam a se aestimare poterat regni illius fortunam[6].

Ex hoc ipso coicere licet quanta cura Deorum actionem explicauerit. Non sane diuini cuiusdam numinis interpositi descriptione abutitur, sed quotienscumque Dei in scenam inducuntur, ut amplior et elatior fit oratio, ita maior et illustrior cuiusque rei species. His enim tabulis quas pingit uehementer ipse delectatus, nihil, ut Apollonius, breuius adumbrat, sed lineas et colores apte uariat. Hic Pallas nauem exstrui iubet et Argum ipsum per siluas ducit, ut lectissima ligna excidat[7]. Immo utrique eiusdem nauis lateri delicata manu pictas imagines addit; at prudentis Deae socia et aemula Iuno omnes Graeciae partes inuisit, ut heroas suscitet atque in unum congreget et, ut ita dicam, conscribat[8].

---

1. Valerii *Argon.*, IV, 62-68.

In quem alium Alciden, in quae iam tempora differs
Caucaseum, rex magne, senem? Nullumne malorum
Finem adeo poenaeque dabis? Te cuncta precatur
Gens hominum atque ipsi iam te, pater optime, montes
Fessaque cum siluis orant iuga. Sat tibi furtum
Ignis et aetheriae defensa silentia mensae.

2. Id., VI, 457.
3. Id., VI, 460 sqq.
4. Id., I, 639 sqq.
5. Id., I, 223, 528 et passim.
6. Id., I, 505 sqq.
7. Id., I, 92-96; 120-140.
8. Id., I, 96-107.

At Iuno Argolicas pariter Macetumque per urbes
Spargit, inexpertos temptare parentibus austros
Aesoniden, iam stare ratem remisque superbam
Poscere quos reuehat rebusque in saecula tollat.

Sed uide quantum ab initio operis praeclarum illud Argonautarum facinus Deos mouere uideatur ; nam ubi primum uiri de terra decesserunt, ad Iouem adest ipse Sol qui Iouis iracundiam in Graecos concitare conatur ; nihil illius oratione grauius, qui, cum de filii sui potestate sit anxius, ab hominum Deorumque patre petit ut nauem ad Pagasaeum litus reducat[1] ; Mars adsentitur, in cuius luco splendet aureum uellus et qui mox ingenti animi atrocitate Aeetae et Barbarorum causam est oraturus. Interea Boreas iratus quod nauigatores suum imperium temerare ausi sint, ab Aeolo impetrat ut uentos, compedibus liberatos, in Argonautarum internecionem per mare emittat.

Pangaea quod ab arce nefas, ait, Aeole, uidi !
Graia nouam ferro molem commenta iuuentus
Pergit et ingenti gaudens domat aequora uelo,
Nec mihi libertas imis freta tollere harenis[2].....

Sed Neptunus, a mitibus consiliis nullo modo abhorrens, Iunonis et Mineruae uota capessit et quamquam e nauigandi arte multa mala in mortalium genus exundatura praesentit iam tum misericordia commotus turbidas undas placat nauemque seruat integram.

.....Hanc mihi, Pallas
Et soror hanc, inquit, mulcens mea pectora fletu
Abstulerint[3].....

Neque autem raro, postquam nauigii initiis fauit, Iunonem reperias intercedentem ; continuo enim agere solet, prout beneuolentia uel odio afficitur ; nam haec ab Hercule Hylan separat et Iouis filium inimica procul a sociis rapit[4], et in Cyanearum angustiis, Minerua quoque auxiliante, rupes inter se concurrentes retinet ac de Iasonis salute cum socia benigne colloquitur[5] ; eadem illa dolo a Venere ornamenta ista impetrat quibus contrectatis ferocissimi animi mulcentur et secreto dulcique stimulo punguntur[6] ; deinde sub Chalciopes imagine primos amoris ignes apud uirginem accendit[7]. Maiorem fortasse Cypris Graecorum duci opem adferre et res adhuc incertas

1. Valerii *Argon.*, I, 498-525.
2. Id., I, 598 sqq. — Cf. 574-608.
3. Id., I, 642 sqq.
4. Id., III, 521-544 ; 611-613.
5. Id., IV, 679 sqq ; V, 280-297.
6. Id., VI, 460-477.
7. Id., VI, 477-495.

praecipites impellere uidetur, cum in Solis gentem odio inuecta[1] Medeam e cubiculo et paterna domo eripit, Circes habitum uestemque induta.

.....Ecce toro Venus improuisa resedit,
Sicut erat mutata Deam, mentitaque pictis
Vestibus et magica Circen Titanida uirga[2].

Vi simul et lenociniis, dulcibus pariter ac ferocibus uerbis timidae uirginis pudorem uincit. Quod mira arte expressit poeta :

Occupat amplexu Venus et furialia figit
Oscula permixtumque odiis inspirat amorem[3].

Sed ecce supra terras, in altissima caeli parte, Deorum et hominum pater omnes res aequo animo prospicit et moderatur ; Iasonis audaciam probat et nobili uirorum fortitudine delectatur.

Siderea tunc arce pater pulcherrima Graium
Coepta tenens, tantamque operis consurgere molem
Laetatur : patrii neque enim probat otia regni[4].

Deus autem ille summam mentis uim animique magnitudinem prae se ferens, aequitatem in omni re seruat, siue Iunoni suae Herculis odium crimini uertit et uehementer improbat[5], siue Martis et Mineruae inter se disputantium et plane diuersas causas orantium querellas compescit ac nimiam utriusque ferocitatem obiurgat, se ipsum ineluctabili fatorum ui obstrictum putans, quorum fuerit auctor, et ita grande patientiae documentum tradens[6],

.....habent quoniam sua fata furores ;

siue placido uultu, maesto autem animo, filium Colaxem in acie occisum conspicit[7], rerum ordini se subiciens.

.....Iamque pater maesto contristat sidera uultu,
.....« Quin habeat sua quemque dies, cunctis negabo
Quae mihi..... »

Haec quidem omnia Deorum maiestati conueniunt et ut elatam poetae mentem testantur, ita rerum dignitatem augent.

Dei igitur illi Deaeque sui conscii fiunt et quosdam sensus ac rationes habent quibus ad agendum impellantur uel deducantur. Primum inter duas factiones sunt diuidendi, prout Argonautis fauent uel aduersantur ; pro quibus Iuno et Pallas et Venus, contra autem Mars et Sol et Boreas consiliis factisque suis nituntur. Ceterum

---

1. Valerii *Argon.*, VI, 467-468.
Sensit diua dolos iam pridem sponte requirens
Colchida et inuisi genus omne exscindere Phoebi.
2. VII, 210-407.
3. Id., VII, 254, 255.
4. Id , I, 498 sqq.
5. Id., IV, 1-15.
6. Id., V, 618-691. — In primis 676.
7. Id , VI, 621-657, et in primis 628 sqq.

proprios affectus seu lenes seu uehementes sequuntur. Nam turbidus animo et sollicitus, maiestate plenus Iuppiter, dulcis et misericors Neptunus, iracunda et gratissima Iuno, falsa dulcedine et acri uoluntate uidetur Cypris. Atque in toto carmine sibi constant ingentes illae personae, neque cur huc uel illuc consilia dirigant ignoramus. Ab initio enim operis, Iason ipse docet se quondam per turbidum Enipei cursum Deorum reginam umeris transuexisse[1]; hoc uero est utrique mutuae caritatis uinculum, neque heroem pudet hoc memorare, praesertim cum in futurum magna pericula timet diuinumque auxilium optat. Ubi autem Iuno beneficia sua cumulat, haec omnia e grato animo tamquam e puro fonte proueniunt: quae quidem uirum illum e summis discriminibus eripere uult, atque hoc consilium praecipue ei ob oculos obuersatur. At illa, ut accepta beneficia, ita iniurias acerrime sentit; quare, cum fallacem coniugis sui inconstantiam et semestres, ut ita dicam, amores et frequenter ruptum sacrum conubii foedus non aequo animo tolerare possit, Herculem, e mortali muliere natum quam olim Iuppiter amauit, uehementi odio persequitur, quamuis ille sit Argonautis firmum praesidium. Ex quo fit ut Deae mens in duas partes alternis uertatur. Nihil enim omittit ut Iasoni prosperum cursum felicemque reditum paret; neque uero solum cum amica Minerua sententias suas consociat, sed etiam Veneris illius adiutrix fieri non timet, cuius formidandam potentiam nimium eheu! densis Iouis fraudibus experta est. Atque adeo non cessat donec Medea Iasonis amori cedat et aureum uellus auferendum seque totam diligendam simul heroi tradat. Nonne ipsa coniugum fidelium patrona ad dolum demittitur cum a Venere fatalia ornamenta mutuatur, quibus puellam alliciat et perdat, et Chalciopes speciem habitumque induit? Sic aliquid muliebris calliditatis retinuit; non enim semper animi grauitatem prae se fert, sed nonnumquam molle et subtile ingenium significat, quod in amoenis sermonibus uenuste colludit. At contra non iam officiosa, sed ad iram et odium procliuis exsistit, siue Herculem et Hylan progredientes uidet et furorem effundens adulescentulum ad fontem ducere et heroem ab Argonautis amouere cogitat, siue haec consilia, data occasione, peragit. Tum potius in iniuriarum suarum ultionem quam in Iasonis salutem et summo studio et parua fortasse sapientia incumbit.

> .....Quos talibus amens
> Insequitur, solitosque nouat Saturnia questus:
> « O utinam Graiae rueret non omne iuuentae
> In noua fata decus, nostrique Eurystheos haec nunc
> Iussa forent! Imbrem et tenebras saeuumque tridentem
> Iam iam ego, et inuiti torsissem coniugis ignem[2]. »

1. Val. *Argon.*, I, 81 sqq.
2. Id., I, 111. Cf. III, 509 sqq.

Pallas autem multum prudentiae et constantiae praestat : quae sunt illius Deae uere propriae uirtutes ; neque uero desunt ei dicendi artificia et sermonis decor. Primum non ut Iuno summa beneficii gratia Graecis, sed naturali studio, se uidetur addixisse. Iure igitur Deorum reginae renuntiare potest :

> .....liceat Graiis ut reddere terris
> Aesonium caput et puppim quam struximus ipsae
> Iactatam tandem nostro componere caelo[1].

Pari igitur beneuolentia cum Iunone certat, neque ulli operae parcit ut auxilium Graecis et salutem ministret, siue Argum in Pelias siluas ducit, siue Symplegadum manu sua retinet impetum, siue Barbaros Aeetae hostes aegide succussa in fugam uertit[2] ; tum sane poeta Homericam illam Deam meminit quae in Troianis campis lanceam et scutum agitabat et in prima acie totos militum ordines impellebat mortemque Hectori parabat. At plerumque prudentibus consiliis innititur. Quantam enim animi constantiam exhibet, quantum omnis uiolentiae, cui plane ratio desit, fastidium, quantum iustitiae et humanitatis amorem in illa oratione qua ante ipsum Iouem furentis Martis probra repellit et Iasonis causam defendit.

> Non tibi Bistonidae, quibus haec fera murmura iactes,
> Non Lapithae, sed Pallas, ait ; neque ego aegide digna,
> Nec uocer ulterius proles Iouis, excidat iste
> Ni tibi corde tumor[3].....

Et mira arte cum illis sensibus Deae congruit oratio.

Si hunc in describendis personis decorem intellegere nobis in animo est, satis habemus Venerem et Martem inter se componere. Illecebris enim et lepore plena, pulchritudine splendens incedit Dea ; amoribus et insidiis et illa sua dulcedinis specie dolosoque risu gaudet ; at uim ingentem et uiolentos perfidosque affectus secum uersat, quos simulata mollitia et uanis lenociniis obtegit. Quam egregie poeta uehementes illos impetus blanditiis temperatos depinxit ! Quae omnia Venus aperit, cum Medeam ad suam ipsius perniciem impellit adulatione uicissim et dulcibus furiosisque amplexibus usa[4]. Nemini autem dubium est quin Valerius cum « permixtum illum odiis amorem[5] » exprimeret, recentioribus scriptori-

---

1. Val. *Argon.*, V, 293.

2. Id , VI, 396 sqq.

3. Id., V, 649 sqq.

4. Id. VII, 222 sqq.

5. Id., VII, 254-255. — Cf. 321, ubi poeta uim illam nimium fortasse pinxit. Hic de Venere agitur quae ad uincendam uirginem acriore animo redit, postquam primo repulsa est.

> Atque [Medea] toro proiecta manet, cum uisa uocari
> Rursus et impulso sonuerunt cardine postes.

Vide quoque VII, 373 sqq.

bus uiam aperuerit, qui mira arte affectus illos uoluptate et mutua inimicitia temperatos illustrauerunt.

Mars autem quem ab Homeri aetate communis fabula Veneris adulterum fuisse refert, nullum tamen uerbum, nullum gestum adhibet quo non plane summum furorem et immane illud proeliorum studium et effusi cruoris inexpletam sitim declaret ; nihil est quod non uiolenter agat, neque ratione umquam ducitur, sed caeco impetu in iniurias et querellas effunditur. Barbarorum quoque, praesertim Colchorum rudibus saeuisque moribus delectatur ; semper animo et, ut ita dicam, oculis ad lucum illum attendit, quem sibi consecratum ut proprium bonum possidet. Talis conspicitur in proeliis quae Argonautae cum Aeetae hostibus committunt.

> At uigil isdem ardet furiis Gradiuus, et acri
> Corde tumet[1].....

neque ea ipsa oratio quam apud Iouem agit, ab eius saeuo ardore uidetur absona. Nonne ad singulare certamen Mineruam ipsam Iasonis « custodem » appellat ? Atque hic nimis exquisita finxisse Valerium fatebimur.

> Quae studiis, rex magne, quies ? iam mutua diui
> Exitia in solos hominum molimur honores.....
> Quin age, quid tantae coeunt in proelia gentes ?
> Quid tuus Aesonides ? imus nos, protinus imus
> In nemus auriferum, et sumptis decernimus armis[2] ?

Duo sunt numina, quae etsi non magni momenti in agendis rebus uidentur esse, tamen necessitudine quadam cum praecipuis fabulae illius personis coniunguntur. Sol enim, Aeetae pater, et Hecate cuius Medea sacerdos arcanum cultum seruat, nonnumquam ueros et ad argumentum aptos sensus aperiunt ; nihil tamen aliud apud Solem notari potest quam filii caritas et ingens de audaci Iasonis nauigatione sollicitudo, quae quidem Deum tot et tanta domestica mala expertum non dedeceat[3]. Hecate uero, abscondita illa Dea, querellis suis tantum famulam salutat, cum Iunone moenia illa petentem unde Iasonis praeclara facta in damnum suum tueri debet[4]. Neque uero plerumque numinis illius nisi Naturae tumultu potentia ostenditur.

At in altissima Olympi parte sedet Iuppiter, summus omnium Deorum hominumque moderator. Cuius sedem non Valerius ea diligentia depinxit qua Vergilius Omnipotentis domum, Augusti regiae haud dissimilem expresserat. Sed imperio suo fruitur et quamque rem pro iure administrat et ad hominum facta oculos de-

1. Val. *Argon.*, VI, 1 sqq.
2. Id., V, 624... 635...
3. Id., I, 498 sqq.
4. Id., VI, 497 sqq.

mittens, bonos et malos uaria mercede afficit ; si uero Iouis illius Homerici non serenam maiestatem effingit, at certe eiusdem uim et potestatem et iura uidetur aequare. Multum autem ab illo Deo differt, quem Apollonius in secreta et remotissima loca, procul ab hominibus et naturae rebus sua ipsius ui fruentem et omnia ex longinquo regentem exportauerat. Caelum hic gubernat et Deorum querellas et certamina placat, ac precibus uel rogationibus benignam aurem commodat. Singulari quoque diligentia (in quo noui aliquid praestitit Valerius) hominum industriae fauens, quasi desidiae illi, quam in aurea aetate colebat Saturnus pater, uere sit infensus, audacibus cuiusque uiri consiliis delectatur. At idem ille qui summo imperio fruitur et omnium regnorum habenas manu tenet cunctaque uno adspectu amplectitur, suos ipse dolores sentit, neque minus suis infortuniis quam hominum calamitatibus mouetur. Nihil ad concitandos animos aptius a Valerio excogitari potuit quam Iouis maestitia, cum filii sui Colaxis fatalem horam uenisse intellegit ; sed pius ille sacrorum decretorum obseruator praeclarum hoc letum a carissimo capite non uult arcere, ne omnium mundi legum consensum turbet; quare dilectissimam suam prolem in acie occumbere constanter patitur[1].

> At genitus Ioue complerat sua fata Colaxes ;
> Iamque pater maesto contristat sidera uultu,
> Talibus aegra mouens nequicquam pectora curis :
> « Ei mihi, si durae natum subducere sorti
> Moliar atque meis ausim confidere regnis !
> Frater adhuc Amyci maeret nece, cunctaque diuum
> Turba fremunt, quorum nati cecidere cadentque.
> Quin habeat sua quemque dies, cunctisque negabo
> Quae mihi !..... »

Iouis autem imperium hic latius quam in Vergilii carmine patere nobis uidetur ; nam in *Aeneide* Deorum hominumque patri conceditur fata uoluendi uel ordinandi facultas[2], et summus ille mundi rector sic fatis impeditur ut aliquam tantum moram uel mutationem indeclinabilibus illis legibus adferre possit ; « fata uiam inuentura[3] » in Deorum concilio profitetur et dolet quod a Sarpedone filio mortem arcere non potuerit[4], quamquam Vulcanus iam ante declarauit aliquantum trahi posse rerum euentum quae ex fato penderent[5]. Sed Vergilius, communem sententiam secutus, parum curat quomodo illam rationem intellegat qua fatum et Dei uoluntas inter se conuenire uel dissidere possint. Apollonius autem cum ipsa Iouis

---

1. Val. *Argon.*, VI, 621 sqq.

2. V. De la Ville de Mirmont, *op. laud.*, l. II, cap. II, p. 296. — Cf. Vergilii *Aen.*, III, 375 sqq.

3 Vergilii *Aen.*, X, 113 sqq.

4. Vergilii *Aen.*, X, 467. Verba Iouis ad Alciden qui Pallantis imminentem necem deplorat.

5. Vide De la Ville de Mirmont, cap. II libri II, et in primis p. 293 sqq. — *Aen.* VIII, 398.

uoluntate necessitatem consociare erat uisus. Contra Valerius qui uidelicet philosophorum studiis se dederat et cuius aequales in hac scientia multum profecerant, easdem res aliter disposuit; nam in eo loco ubi, pulcherrimos quosdam Vergilii uersus sibi in memoriam reuocans, Iouem de propinqua filii sui morte lugentem expressit, plus Dei auctoritati concedere uidetur; nempe apud Vergilium Iuppiter Alcidae respondet summum Deum oranti ut Pallanta e Turni ictibus subducat, sibi nullam esse uim fata subigendi :

> Stat sua cuique dies, breue et irreparabile tempus
> Omnibus est uitae[1].

Fingit autem Valerius Deum dubitantem num potestate sua ad seruandum Colaxem abuti debeat, quasi ei sit nescio quod in imminentia fata praesidium. Ceterum ille poeta, illustrare conatus quomodo hae duae res, Dei uoluntas et necessitatis uis, quae tam discordes uiderentur, inter se conciliari possent, eam interpretationem repperit quae non plane a recentiorum philosophorum et, ut unum ex his nominem, Leibnitzii sententia differret[2]. Nihil enim aliud esse putat fatum nisi decretum quod Deus a mundi origine propria auctoritate fecerit, ita ut diuina uoluntas se ipsa in strictis terminis in aeternum includeret. Quapropter cum Mars de Argonautarum nauigatione queritur, Iuppiter respondet hos fata sequi quae ipse rerum initio posuerit.

> .....Vetera haec nobis et condita pergunt
> Ordine cuncta suo, rerumque a principe cursu
> Fixa manent; neque enim terris tum sanguis in ullis
> Noster erat, cum fata darem[3].....

Si haec ad illos Iouis de morituro Colaxe questus accommodas, Valerius nonnulla sane a Chrysippi Stoici praeceptis mutuatus esse tibi uidebitur; ille enim cum diuinum numen et humanam libertatem inter se conciliaret, rerum principales causas Deo attribuebat, impetum uero, quo res statim fierent, aliis principiis quae ad res ipsas et homines pertinerent; idem quoque ut exemplum cylindrum quendam adhibet, qui « per spatia terrae prona atque derupta » iactus, ab hominis manu « causam..... et initium praecipitantiae » excipit, partim tamen primum et breue post tempus tantummodo propter hoc « praeceps uoluitur..... » quod « ita sese modus eius et formae uolubilitas habet[4] ».

Quicquid id est, Valerium in hac carminis parte noua expressisse fatendum est; uere tum philosophus euadit, laudem haud

---

1. Vergilii *Aeneis*, X, 468.
2. Vide Leibnitz, *Théodicée*, pars I^a, 29, 32, 52; pars III^a, 335.
3. Val. *Argon.*, I, 531 sqq.
4. Auli Gellii *Noctes Atticae*, VII, 2, ed. Hertz.

paruam ex hoc ipso adeptus. Sic enim Iouis magnitudo augetur, illustratur aequitas.

Tali arte Valerius quodammodo superare uidetur Apollonium. Neque uero solum Deis maiorem nobilitatem addidit eorumque sensus subtilius effinxit, sed omnem familiarem usum ab eis plane remouit. Pigebat eum Olympiis humani aliquid commodare et Iunonem ac Venerem, ut exemplo utar, depingere inter se his uerbis colloquentes quibus Alexandrinae aetatis mulieres cotidiane uti solebant. Haec enim omnia humiliora iudicabat, tamquam a Romanorum arte recedentia, qui natura ad magnitudinem extollebantur, et cum illa summae pulchritudinis specie quam secum ipse in animo habebat parum congruentia. Semel tamen, cum Iuno amplius aequo domesticae suae infelicitatis certiorem facit Venerem[1], poeta aliquid Alexandrinae aetati concedere uidetur. Plerumque uero Apollonii uestigia deserens, passim praesentia numina inducit. Nam somniis quae communis fama ab Ioue hominibus mitti ferebat, frequentius quam Graecus poeta usus est. Sane plures sunt apud Apollonium nocturni uisus diligenter expressi; Circe et Euphemus somniantes quid futurum sit commonefiunt[2], et Medea, ut fatalem amorem concepit, tristibus imaginibus obsidetur[3]. Quae quamquam Valerius uel omisit, uel neglegenter retractauit[4], libenter tamen homines somniis turbatos descripsit; quales sunt Cyzicus nocte illa qua illustri nece fortissime pugnans est casurus[5] et Aeetes, cum Phrixi imago ei futura aperit et nuntiat ex seruato possessoque aureae pecudis uellere totam pendere regni fortunam[6]. Quae uero praesens numen designant, explicat eisque insistit. Praeclaram enim Famae imaginem sub uerae personae forma inducit; quae si in legentis memoriam pulcherrimos Vergilii uersus refert, in certamen cum illis deduci potest[7]. Quin etiam uentus ipse sub Boreae figura multum agere uidetur. Quid de naui quae retro ignota ui subito impellitur, sic Iasonis preces benigne a Phrixi manibus exceptas attestans et prosperum omen confirmans[8]? Multa etiam Dodonaea quercus murmurat quae heroum uirtutem erigant[9]; idem uero

---

1. Val. *Argon.*, VI, 463 sqq.
2. Apoll. *Argon.*, IV, 660, 1729.
3. Id., III, 616 sqq.
4. Somnium Medeae in breue cogit, VII, 141.
5. Id., III, 58 sqq.
6. V. 226 sqq. Sic res colligit, paulo fortasse temerius De la Ville de Mirmont, *op. laud.*, 96 : « Le rôle des songes, considérés comme présages est très restreint dans les Argonautiques. Les rêves sont le plus souvent des ἐνύπνια qui indiquent une disposition présente de l'âme, qui viennent des désirs ou des craintes qui l'agitent, et qui ne renferment aucune valeur divinatoire. »
7. Id , II, 115 sqq. — Cf. *Aen.*, IV, 173 sqq.
8. Id., V, 210-215.
9. Id., I, 302 sqq.

malus apud Apollonium res breuius significabat[1]. Neque quicquam de prodigiis illis adferre libet, quae suo arbitrio facit Medea, Hecates sacerdos.

Sic pro suo quisque ingenio Dei multum agere uidentur, et res quocumque uoluerunt diligenter impellunt, Argonautis siue beneuolos siue inimicos sensus exhibent; Iuppiter autem cuncta, ut summum uniuersi mundi moderatorem decet, aequo animo et aequis oculis prospicit. Quorum uoluntas praesens certis signis illustratur. Sed ea fuit Valerii ars ut illa frequentia numinum munera quam minimam proprii heroum studii ac uirtutis partem detraherent. Ita enim plerumque inducuntur Dei ut tantummodo personas commendent, eis occasionem praebentes consilia et facta ostendendi. In quo fatebimur Valerium Apollonio praestitisse. Res enim illustrauit et auxit ac maiestate impleuit atque impetu quodam, ut ita dicam, impulit. Hoc est grauis et ardentis animi opus.

---

1. Apoll. *Argon.*, IV, 579 sqq.

XI

Paucissima extra rem. — Epilogus

Non igitur is est qui serui imitatoris reprehensionem subeat; sed ab Apollonio discedit et res nouas pangit, ingenium suum secutus. Ceterum haec semper fuit Latinorum poetarum ratio, cum Graeca opera imitarentur uel in domesticum sermonem uerterent, ut proprii ingenii uim seruarent integram; quod ut principio comoediarum scriptoribus atque ipsis « Euphorionis cantoribus » curae fuit, ita poetae illi qui Augusto fuerunt aequales uel eiusdem aetati successerunt, artificiosius Latinam uim et grauitatem Graeca elegantia et subtilitate temperauerunt.

Nos autem uidemur eum iam cursum tenuisse, quem nobis praescripseramus; quare non nobis in animo est extra fines illos euagari et huic opusculo alius libri materiam inserere; pauca tamen putamus dicenda ut appareat Valerium eadem arte ac pari temperantia ex Vergilio uel quouis alio scriptore hausisse; sic melius illustrabitur poetae nostri ingenium, famaque eius ab omni uituperatione defendetur. Ceterum doctissimi Germanicae gentis uiri hoc opus aggressi sunt et de his rebus haud mediocres libellos composuerunt.

Valerius plurimos libros qui ingentem famam consecuti erant et tunc undique ferebantur in manus uidetur frequenter sumpsisse. Iam intelleximus quantum in describendis Barbarorum moribus Pomponio Melae deberet. Neque uero Diodorus ei spernendum auxilium attulit quia hunc auctorem adsecutus, Aesonis et Alcimedes uoluntariam necem et Hesionen ab Hercule liberatam narrauit; ex quo uidetur plura ad effingendam Medeae personam uel ad exprimendum illud Phoebi templum deprompsisse. Multa enim de magicis Medeae artificiis Graecus ille historicus rettulerat.

Ceterum uidimus quanta cura Valerius haec omnia ornauisset, Taciti maiestate digna effingens. Eodem modo aliquis demonstret plura ex Homeri uel Pindari poematis esse desumpta. Sed quid iuuat quandam necessitudinem deprehendere inter Homeri τειχοσκοπίαν et illos uersus quibus Medea, Iunone duce, proelia et pugnatores auidissime conspicit? Atque hoc praesertim eo minus utile uidetur,

quod in hoc loco plus fortasse Horatii carmini cuidam debuit, qui « adultam uirginem » e moenibus prospicientem depinxerat[1]. Imitatorne enim uere dici potest quia breuiter ad antiquum illud Iunonis suspendium respicit[2], uel quia Clite coniugis mortem deplorans, ut Andromache fere queritur patrem matremque absumptos esse, et raptum uirum illum qui miserae patris et matris uices expleuisset[3]. Item nonnullas comparationes praebet, quarum fontes erant Homerica poemata et quas denuo retractatas non semel apud alios poetas reperias[4]. Nec quicquam ex hoc colligi potest quod Ulysseae domus καπνόν meminit[5]. Non autem minore libertate quosdam Pindari locos est interpretatus, in illa praesertim Peliae oratione qua Iasonem ad exercendam uirtutem et faciendam nauigationem hortatur[6].

Saepius Vergilii subsidio utitur, nec mirum, quia ab omnibus eiusdem aetatis poetis tamquam uerae poeseos exemplar et fons et, ut ita dicam, numen colebatur; ad illum enim summum poetam omnes mentes derigebantur. Sed nobis cauendum est ne in errorem illum decidamus quem plerique critici non effugerint, et ut doctus uir Soupé, Valerii poema ad diuinae *Aeneidos* imaginem esse refectum ac « disiecti » uatis membra de integro noua specie collecta affirmare uideamur[7]. Primum nemo non fatebitur Valerio, etiamsi uoluisset, arduum fuisse tot et tantas res ex inclito illo poeta in opus suum transferre, adeo inter se discrepant *Aeneidos* et *Argonauticorum* argumenta. Vergilius enim in uno carmine non solum antiquam populi Romani gloriam et egregia ueterum ducum facinora celebrauerat, sed etiam in describendis remotissimi temporis moribus subtilem diligentiam Latino ingenio apte conuenientem exhibuerat; in cuius poemate lucent patriae amor et mollis elegantia et nescio quae dulcis cuiusque uiuentis misericordia; haec autem omnia et uere peculiari nota esse impressa, et ad recentiorem aetatem uidentur propius pertinere; ut Vergilius ad aequales nostros necessitudine quadam admoueri possit. At Valerius qui a Graeco scriptore carminis sui materiam et argumentum mutuatus est neque tamen ingenio suo eandem pulchritudinis speciem concepit, non debuit Vergilium spoliare neque ad uerbum imitari.

Re uera plurima e Vergilio ad usum suum detorsit et semper eius imaginem ante oculos habuit, ita ut aemulator potius quam imitator exsisteret. Quare doctissimus uir Greiff pronior ad hoc fuit ut

1. Homeri *Ilias*, III, 161 sqq. — Valerii *Argon.*, VI, 588. — Horatii *carm.*, III, 2, 6.

2. *Ilias*, XV, 18. — Valerii *Argon.*, II, 82.

3. *Ilias*, VI, 414. — Val. *Argon.*, III, 323.

4. Haec omnia exempla diligenti studio excussa A. Gruenberg in libello qui inscribitur *De Valerio Flacco imitatore* recensuit. Berolini, 1893. R. Heinrich.

5. *Odyssea*, I, 57. — *Argon.*, VIII, 451.

6. *Pythicum carmen*, IV, 279. — Val. *Argon.*, I, 40-58.

7. *Études sur l'Épopée latine*. 1842. Paris, Durand.

undique seruilis imitationis uestigia requireret[1]. Sic Deos cum inducit agentes, hos ea mente afficit quam ad exemplar Vergilii pingere uideatur; apud utrumque enim Olympiorum maiestas non e corporis uiribus et excelsa statura, sed e prudenti et graui ingenio oritur, neque quicquam nisi consilio persequuntur uariosque seu molles seu acres sensus exprimunt. Uterque quid Dei cogitent, agant, oderint, diligant, qua ratione res moueant et regant diligenter excutit. Illic igitur Vergilium magnam auctoritatem apud Valerium habuisse eiusque tamquam ducem fuisse fatebimur. Cum etiam Iasonis personam exprimeret, ex eius memoria non exciderat pii Aeneae imago, qui propter ipsam poetae gloriam praeclarissimam laudem erat consecutus. Quemadmodum Aeneas, ita Iason in acie fortissime proeliatur, nec desunt apud Valerium libri in quibus heros uirtutem suam ostendat, eadem prorsus ratione qua pius Aeneas ad maiora se suscitans uere Romanae gentis conditor et Latinorum debellator exstiterat. Adde quod Vergilius, dulces herois mores exprimens, multa ex Apollonio deprompserat.

Plerumque autem Valerius e Vergilio res singulas et uerba carptim sumere solet, non ad artem sed ad scribendi materiam sese referens. Sic Boreas, cum Aeolum adit ut tempestatem in audaces Argonautas excitet, Iunonis ipsius agit partes quam Vergilius a uentorum Deo eadem prope petentem depinxerat[2]. Cum autem poeta noster procellam ingentem in primo libro et intercedentem Neptunum exprimit, nihil aliud nisi singulas res a Vergilio mutuatur[3], quibus nouam speciem induit. Memorare quoque licet uehementem illam Martis orationem, qua bellator Deus Iouis iracundiam in Argonautas mouere conatur, deinde Mineruae responsionem Graecum heroem defendentis, denique patris ipsius Deorum grauissima et prudentissima uerba, dum se fatorum potentiae obnoxium profitetur; quae nobis pulchra illa Veneris et Iunonis et Iouis in decimo *Aeneidos* libro colloquia in mentem reducunt[4]; Minerua quoque sic Argonautas tuetur quemadmodum Venus Troianis partibus fauet, neque aliter Mars Iasonem odio persequitur quam Iuno Aeneae conatibus obsistit; apud utrumque poetam Iuppiter adest supremus mundi arbiter, lites sedare et rerum naturam regere ac Deorum hominumque dissidia componere paratus.

Sic in inducendis personis Valerius Maroni aliquid gratiae debet. Neque uero multum aliter in plurimis locis hac modica et artificiosa imitatione usus est. Nam cum Phoebi templum ubi Aeetes Iasonem est accepturus, et fatidicas imagines quibus ornati sunt postes de-

1. *De G. Valerii Flacci Argonauticis cum Vergilii Maronis Aeneide comparatis.* Trente, Giovanni Seiser. 1869.

2. *Aen.*, I, 34-84. — *Argon.*, I, 574-608.

3. *Aen.*, I, 84-124. — *Argon.*, I, 608-640.

4. *Aen.*, X, 16-118. — *Argon.*, V, 618-690.

pingit, sine dubio delubrum illud Iunoni dicatum meminit, quod inuisit Aeneas, tot tabulas miratus ubi longa Troianarum calamitatum series erat expressa. At nonne Valerius materiam feliciter retractauit, cum non solum ad praeteritum sed etiam ad futurum tempus illas adumbratas figuras pertinere finxit et Iasonem, cuius res maxime intererat, quid haec omnia significarent ignorantem induxit[1]? Iason quoque et Aeson inter se ultima uerba habentes non multum ab Euandro et Pallante[2] distant, sed quamquam poeta tunc de *Aeneidos* quibusdam uersibus meminit, sui tamen iuris est ac potius desumptae rei lineas et quasi figuram quam rem ipsam reddit; nullo enim uerbo aliunde ducto plerumque utitur nisi immutato. Sic Daretis et Entelli certamen a Vergilio tam pulchre descriptum adhibens, Pollucem et Amycum inter se pugnantes ita expressit ut legentis sensus uehementer commoueret ac narrationis grauitatem augeret. Etenim cum Apollonius tantummodo uarios pugnatorum gestus et habitus neque uero ullos fere animi affectus depinxisset, quod sane non a Graeci poetae propria arte dissidet, quotienscumque eiusmodi res pingere constituit Flaccus, Vergilium secutus, intellexit non solum e pugnantium animosis ictibus proelii euentum pendere, sed etiam haec facta narranti poetae, si rem decorare et mentes percellere uellet, uirorum ipsos sensus esse effingendos. Ut Vergilius scripserat:

> Tum pudor incendit uires et conscia uirtus,

ita suo loco Valerius:

> Hunc pudor, hunc noto iam spes audentior hoste
> Instimulat[3].

Sed ad haec libentius spectat imitator, praesertim in ultimis uersibus, cum Amycus defatigatus ad supremos conatus uenit.

> Illum insperata turbatum fraude furentemque
> Oebalides prima refugit dum detonet ira,
> Territus ipse etiam atque ingentis conscius ausi[4].

Omnis haec pars poematis, ubi multa Apollonio et Vergilio debet mixta et denuo retractata, Valerii ingenium probat res expromptas egregie temperantis et propria arte signantis.

Saepius unum uel alterum memoria retinuit quod eius in animo conditum feliciter auctum ornatumque euadit. Nonne meminit Miseni, propter impietatem a Deis perditi, cum Cyzicum fingit, offensae Cybeles occisique leonis, Deae carissimi, poenam soluentem[5]?

---

1. Valerii *Argon.*, V, 407 sqq. — Vergilii *Aen.*, I, 441 sqq.
2. *Aen.*, VIII, 568-585. — *Argon.*, I, 336-348.
3. *Aen.*, V, 455. — *Argon.*, IV, 284.
4. *Argon.*, IV, 293-296.
5. *Aen.*, VI, 173. — *Argon.*, III, 20 sqq.

Eodem modo quo Venus Aeneae nouam pulchritudinem induit, ita Iuno Iasoni[1]. Neque multum aliter Hylae uana imago Herculem somniantem quam Aenean Hector consolatur[2]. Nonne cum Dodonaeam quercum somnianti Iasoni exprimebat plura dicentem, ad illam orationem spectabat, qua Iuleae gentis Penates Aeneae futuram gloriam praedicebant[3]? Harpyiis quoque eosdem fere colores attribuit quos eis Vergilius iam induxerat[4]. Sed haec clariora in describendis proeliis apparent. Neque uero multum ab Achaemenida differt iuuenis ille qui obuiam fit Echioni ab Argonautis misso ut Bebrycum fines specularetur[5]. Quatenus etiam Styrus, Albani regis filius, Medeae desponsus, Turno illi affinis est, qui uirtute sua Troiano duci aemulabatur?

Ceterum ex illis exemplis non colligi potest Valerium ad Vergilii artem se totum rettulisse. Quae omnia potius fidelem memoriam quam temerarias rapinas designant. Ingentem quoque uocabulorum copiam deprompsit, eandem sibi licentiam adsumens qua iam usus erat summus ille poeta. Saepissime uerba tantum singula promit quae nouo ordine disponit; alias continuata uerba subripit, partes quasdam sententiae intactas seruans, cetera autem libere immutans. Multa uero eiusmodi exempla nonnulli docti uiri in indicibus rettulerunt; ad quos licet confugias. Sed non est quod propterea genuinas Valerii Flacci uirtutes eleuare possimus[6]. Sane plures eius uersus etiam celeriter et in transitu lecti nobis in animum Vergilii imaginem reducunt[7]. Plerumque tamen ea quae effingit retractat et perpolit et artificiose orationis magnificentia uel exquisita elegantia Vergilium ipsum superare conatus[8]. Quemadmodum igitur solebant plerique ueteres poetae, materiam nonnumquam ab aliis mutuabatur, sed uere propria nota signabat.

Non tamen nobis proposuimus de Valerii dicendi genere fusius

---

1. *Aen.*, I, 588-594. — *Argon.*, V, 363-377.

2. *Aen.*, II, 268 sqq. — *Argon.*, IV, 22 sqq.

3. *Aen.*, III, 147-178. — *Argon*, I, 300-310

4. *Aen.*, III, 210 sqq. — *Argon.*, IV, 465-529

5. *Aen.*, III, 588. — *Argon*, IV, 133.

6. V. Greiff et Gruneberg, *op. laud.*: *cursus rumpere* (Val. I, 3), — *uibrare* (I, 62), — *celeri lapsu* (I, 91), — *clamor nauticus* (I, 186), — *caput* pro *homine*, — *tendere cursum* (I, 483), — *agglomerare* (II, 171), — *optima facta* (II, 263), — *impleri* absolute dictum (II, 389), — *crudis tauris* (IV, 250), — *nunc quassat caput* (V, 526), — *cateia* (VI, 83), — *degeneres* (VI, 86), — *bracchia* pro *ramis arborum* (VIII, 114), etc.

7. *Te uiridem uidet immunemque senectae* (I, 77), — *Visi laude canunt manifesto in lumine* (I, 105), — *Vires animosque adferte paternos* (I, 243), — *quae meminisse iuuet* (I, 249), — *Et iam finis erat* (I, 350), — *spumas salis . . . infundere . . . tridenti* (I, 688), — *saeuit atrox* (I, 700), — *remis insurgitur* (II, 13), — *dolos dirumque uolutat Corde nefas* (II, 567), — *immani turbine* (III, 78), — *salue uera Iouis proles* (IV, 327), — *dum detonet* (IV, 294), — *nomine quemque premens* (IV, 649), — *rapit atra dies* (V, 41), — *diem noctemque fatiget* (V, 601), — et *mala leti gaudia* (VI, 178), — *mensaeque adsuetus erili* (VII, 124), — *aequali caterua* (VII, 181), — *impresso cubili* (VIII, 9), — *acta timore graui* (VIII, 34).

8. Conferre licet inter se *Verg.*, IV, 263 et *Val.*, I, 427; — III, 193; II, 628; — VI, 603; II, 651; — IX, 452; III, 280; — II, 291; III, 688; — I, 588; V, 466.

disserere, quod esset a nostro consilio alienum ; sed nobis uidetur esse satis breuiter significare quatenus poetae nostri oratio in totam eius artem quadret. Primum uim affectat, nec mirum, quia materiae dignitatem omnibus modis augere et pulchros grauesque sensus pandere et totum Apollonii opus ad hanc speciem reducere nisus est. Inde ea uerba eligit quae ualida et splendida, nonnumquam etiam rara uideantur[1]. Ubicumque affectus graues et acres depingit, uerbis significantibus utitur quae neruos et toros exhibent et legentis mentem erigunt. Nempe hoc colore sedulos itineris apparatus in primo libro, in ultimis autem tot proelia et Iasonis ac Medeae ardentes amores depinxit. Ceterum nullus est scriptor qui felicius figuris utatur. Tot enim uerba ad nouos sensus et nouas iuncturas parce detorsit[2] ! Inde fit ut ille Apollonii et Vergilii imitator uersibus suis propriam lucem infundat, hoc unum uerbum « condere » adhibens ; namque ad uerum nautae sensus exprimit, qui discedens litora saxaque contemplatur superata breuique ex oculis remota.

II, 443. .....Iam quas praeuiderat urbes
Nauita *condebat,* proraeque *accesserat* Imbros.....

Inter dulcissimos uersus hic numerari potest quo luna exoriens salutatur :

II, 294. .....Adnue uotis
Diua, soporiferas quae nunc trahis aequore bigas.

Saepe res oculis, uerbo bene collocato, subicere uidetur.

III, 1. Tertia iam gelidas Tithonia soluerat umbras
Exueratque polum.....
IV, 665. .....Effluit imber
Spumeus et magno puppem procul aequore uestit.

At haec insolitae dictionis affectatio poetam interdum ad nimis

---

1. VII, 354. ...Nec notis stabat contenta uenenis.
VII, 511. Haec ubi dicta, tamen perstant defixus uterque.
III, 417. Iamque sopor mediis tellurem presserat horis.
I, 528. ...Adfremit his quassatque caput.
VI, 657. At regina uirum (neque enim Deus amouet ignem)
Persequitur lustrans oculisque ardentibus haeret.
II, 233. ..... et anhela in pectore fumant
Vulnera.....
IV, 345. ..... qua rigidos eructat Bosporus amnes.
II, 248. Totaque iam sparsis exarserat insula monstris.

De tota illa quaestione disseruerunt Dr H. Gebbing (*De C. Valerii Flacci dicendi genere quaestiones,* quod est grammaticum opus, potissimum ad graecae orationis imitationem spectans ; Coblenz, 1888 ; — *De C. Valerii Flacci tropis et figuris.* Dissertatio inauguralis, Marburg. 1878) et M. Schmitz (*De C. Valerii Flacci dicendi genere quaestiones,* Monasterii, 1872), qui animum ad uerborum collocationem attendit.

2. Haec, ut exemplo utar, uerba : reserare, resoluere, condere, uestire, fundere, accendere, quatere, haurire, mergere, etc. (V. Ed Lemaire, t. II, p. 419. *Index uerborum et locutionum in Valerium Flaccum.*)

exquisitas et putidas uerborum significationes ducit[1]. Sane inter has dicendi formas nonnullae sunt quas Vergilio debet, sed tam constanter hunc tenorem in eloquendo seruat ut illa omnia cum eius ingenio congruere et ab eo uera prope simpliciaque haberi uideantur. Certe splendidae illae sententiae plerumque res bene pictas designant; non tamen acuto et subtili Apollonii stilo usus est, sed uariis quodque coloribus distinguitur et nescio quo ingenii spiritu perfunditur[2]. Siue igitur ignem in aere ascendentem et uictimis circumfusum (I, 205), siue acu pictam chlamydem (I, 430), siue ad Oceanum occidentem solem (I, 274), siue Hellen fluctibus submersam (I, 292), siue florem illum e Promethei cruore natum (VII, 355, sqq.), siue Gigantas inter se trucidantes eorumque cadauera ab ipsa Terra matre absumpta depingit (II, 16, sqq.), eandem illam laudem meretur. Nusquam autem praeclara illa ars clarius quam in adhibendis comparationibus conspici potest; quibus distinguitur totum eius poema. Denique uerborum translationes et figuras frequentes in orationis corpore intexit[3]; libenter nomina quae rem qualis oculis proponitur designant cum nominibus miscet, quae separatim rerum qualitates abstrahunt[4]. Saepe etiam pro personarum et rerum ipsarum nominibus haec uerba adhibet quae quales sint significent et earum rationem ambitu quodam designent. Mutis praesertim rebus affectus artificiose attribuit. Denique, ut paucis absoluam, omnes rhetoricae artis opes uidetur tenere. Hic in amplam et numerose cadentem quandam uerborum compositionem euadit poetae ingenium, illic in breues uibrantesque sententias inclusum, maiorem ex breuitate uim haurit. Qua arte in hunc uersum totum amantis Medeae dolorem collegit!

VII, 3. Noxque ruit soli ueniens non mitis amanti.

Quamquam in hoc Lucano nec aemulatur nec sane aemulari uoluit.

Saepius enim ingens rhetoricae artis studium orationum et contionum copia ostendit; nullum autem est dicendi genus, mite uel acre, quod non adsciuerit, nullus affectus, seu grauis, seu dulcis, quem non expresserit. Plerumque elationem et magnificentiam affectat, in quo multum ab Apollonio discrepat; ut enim apud hunc heroes familiariter inter se colloquuntur, ita in Latini poetae car-

---

1. Lautiora et delicatiora requirit, dum hoc uerbo *fundere* frequenter abutitur. I, 446; II, 107. — Cf. V, 6 : *uelamina caelata*. — I, 535 *struere* (regum seriem disponere). — I, 70 *damnare* pro *abolere* et *in rei cuiusdam uicem aliam subicere*.

2. Cf. I, 255, 283, 299. — V, 566, 692. — VII, 564, 567. — V, 131 sqq (haec est morientis Amazonis imago).

3. H. Gebbing, *op. laud.*, illa exempla percensuit, p. 17 sqq.

4. VIII, 25 : *nemoris nox*. — 81 : *primi percussus nube soporis*. — 84 : *cunctaque Lethaei quassare silentia rami*. — I, 774 : *ueteris sub nocte cupressi*.

mine accurate et polite orant, neque ex tempore loqui uidentur, sed quid dicturi sint meditantes rhetorica ornamenta requirunt; Aeson, infernos Deos precatus[1], et Tiphys socios hortatus[2], et Mopsus, Iasonem Cyzici morte maestum consolatus[3], et Phineus cum Argonautarum misericordiam concitat[4], et Meleager dum sociorum de Hercule amisso dolorem irridet[5], et Telamon aduersus hunc iracundia plenam responsionem derigens[6], quamquam uarios sensus effingunt et mouent, sine ullo fere discrimine summam elegantiam et uehementiam et lucidum sententiarum ordinem exhibent. Atque illae orationes non semper a ueritate discedunt; iam enim notauimus quam Aeetae et Iasonis uerba utriusque ingenio apta essent; apud Barbarum superbiam et Graeci nominis odium et magnam crudelitatem, apud illum modestia temperatam fortitudinem et spem indomitam reperias[7].

Sic, ut breuiter haec omnia colligam, Valerius acri et splendido et graui dicendi genere usus est, et quamquam in depingendis rebus et personis uel in eligendis uerbis plura ex aliis scriptoribus deprompsit, tamen ingenio suo est obsecutus et cuncta uere propria arte retractauit.

Cum igitur Valerius Apollonium imitaretur, nihil erat quod non ad normam suam reduceret ac peculiari nota signaret. Sane heroici illius carminis magnificentiam mirum quantum auxit, Deis grauissimam partem deferendo. Hoc est enim epici poematis proprium uiros inducere, cum aduersa Fortuna uariisque periculis luctantes, numine eis auxiliante uel opem denegante. Nonne propter hoc ipsum Homeri opera singulari quadam magnitudine imbuta uidentur? At concedemus Flaccum Martis et Solis inimicos sensus Iouis et Iunonis et Mineruae beneuolentiae clarius opponere potuisse, ut narratis rebus maiorem uim incuteret omnique ex parte God. Hermanni, incliti illius critici, praecepta uideretur secutus. Qui quidem, in *commentariis* de Aristotelis *poetica arte,* notat uiro quem Dei inimicitiis persequantur uires et uirtutem ita augeri debere ut admirationem commoueat et ad ingentia facinora se accingat, nos ipsos prosperis rebus reficiat, aduersis autem quodammodo contristet donec ex aliis numinibus nouam opem acceperit[8]; inde fit ut studia nostra excitentur et nobis illud opus grauitate et iucunditate plenum uideatur. Itaque etsi Valerius Deorum qui acri odio

---

1. *Argon.*, I, 788-816.
2. *Id.*, II, 47-66.
3. *Id.*, III, 377-417.
4. *Id.*, IV, 436-465.
5. *Id.*, III, 649 sqq.
6. *Id.*, III, 697 sqq.
7. *Id.*, V, 471-519, 534-548; VII, 32-78, 89-101.
8. God. Hermann in *Aristotelis de arte poetica* libro *cum commentariis*, Lipsiae, apud Gerhardum Fleischerum. 1802. *De tragica et epica poesi commentatio*, XVIII, XX, XXV, XXVIII.

Iasonem persequuntur ministeria melius illustrare debuit, hoc tamen laudis ei tribuendum est quod illorum interuentum et actionem ad exactiorem modum redegit; non haec diuina beneficia ad Apollonii exemplar passim et parcissime adhibuit, sed ut ex prudente numine pendentia expressit. Quo ultra Apollonium, ut ita dicam, progressus, ad artem Homericam se contulit[1].

Res est quaedam qua nouam speciem operi addidit: scilicet lucidus ille ordo quo omnia inter se apte excipiunt, et pro iusta ratione quidque exponitur. Omnes autem poematis partes egregie temperans, Valerius cuiusque legentis mentem ad Iasonis uirtutem et amorem, Deorum ministeriis seruati et aduersa ipsa fortuna firmati conuertit. Sane hunc omnium rerum in narrando consensum Pindarus in quarto Pythico carmine melius effecit, ubi eadem illa Iasonis laus celebratur; illic enim herois sensus, in primis constantia et acris cupiditas patriam ut e Pelia iniustum imperium ui eripiat reuisendi, a lyrico poeta egregie depinguntur. Sed Valerius etsi cum Pindaro nullo modo comparari potest, multum tamen artis ad rerum dispositionem attulit. Immo si quis ad hoc potissimum spectat, poetam nostrum Apollonio praestare fatebitur, cui satis fuerat (neque uero haec minima laus) homines et uarios mores ad uerum exprimere; qui quidem simplici dicendi genere utebatur et omne orationis artificium siue effugiebat siue certe dissimulabat. Scire enim difficile est e qua praecipua re uel persona Graecum opus totum pendeat. Primasne partes apud Apollonium agit Iason? At ille saepius dimouetur et subduci uidetur, aliquantisper etiam alicui e suis comitibus cedit. Ad Medeae et Iasonis amores cuncta referri debent? Sed puellae amor in tertio libro eximie illustratur, in quarto autem haec prope a poeta omittitur. Noluit sane optimus ille Graecus artifex, cum uirginis erga Iasonem affectus depingendi facultas daretur, pulcherrimam illam materiam praetermittere. Sed ampla doctrina imbutus, nihil antiquius habuit quam ut omnia Argonautarum facinora consiliaque narraret, et totam fabulam iam a tot scriptoribus traditam complecteretur; atque ex hac ipsa rerum gestarum serie quasi fortuito fit cunctarum partium consensus.

Multum autem argumento iam totiens retractato Valerius addidit, et quodammodo ad recentioris aetatis artem accessit, nouam uiam ingressus, cum Medae illius, sagarum potentissimae, pudorem et conceptum amorem et timorem et cupiditate mixta desideria expressit; Romanum enim ingenium ad magnitudinem potius quam ad subtilitatem pronum sponte sua sequebatur; Vergilium quoque in exemplum adsumebat, cuius tamen leporem et dulcedinem et misericordia plenum animum non ita effingere conatus est. Cuius prae-

1. V. Weichert, *op. laud.*, qui God. Hermanni testimonium profert.

sertim uestigia insistit cum antiquis fabulis parce utitur neque nimis eruditionem affectat, sed ea libentius praestat quae mouere ac delectare possint. Quot uariis rationibus terrorem et misericordiam incutere nititur! Tum uere Romanum se aperit poeta. Quapropter Iason ille, qualem induxit, praeclaris uirtutibus et corporis uigore et animi ui fretus, in prima acie pugnans, ipse quoque uere Romanus exsistit. Hinc enim Valerius tantam proeliis depingendis curam attulit. Quae omnia bellicum et, ut Horatii uerbo utar, tragicum spirantia, praecipue debebant gentem illam delectare, quae, quamquam sensim gliscebant in ea mollitia et luxus, adhuc rudis ueterum Latinorum disciplinae uestigia quaedam retinens, quicquid magnos et uehementes sensus concitabat id omne solebat probare. Non tamen Valerius inter illos heroicorum carminum scriptores numerandus est qui Romanae ciuitatis egregia facinora cecinerunt; semel enim tantum in ea operis parte qua Hesionen liberatam narrauit, ciues suos obiter, occasione oblata, laudauit. Neque uero omnino aequalium suorum mores neglexit; magicas enim Medeae artes non sine causa illustrauit, eo tempore quo tollebatur ueterum religio, nouae autem et externae superstitiones cotidie nascebantur.

Rhetoricae doctrinae praecepta egregie adhibuit; hoc uero non solum ad eius ingenium, sed etiam ad aetatem qua uixit pertinebat. Ceterum hac ipsa re maxime ab Apollonio distat: cuius leporem et mollem elegantiam et subtile illud dicendi genus et singularem ad uerum quidlibet describendi artem nullo modo effinxit. Quae ut leuis unguentorum uapor, euanuerunt. Sed uim et grauitatem et splendidos colores, nonnumquam etiam nimium aliquod uerborum pondus exhibuit. Nihil apud eum familiare et cotidiano usui aptum dicitur; semper ad excelsa, non sine magnis conatibus tendit. Breuibus tamen sententiis delectatus, stilum, ut ita dicam, ualida manu tractat, qui saepe in adumbrandis figuris aliquanto durior uideatur. Quapropter artificiosus ille poeta non semper tantam misericordiam, tantum horrorem nobis incutit quantum in legentium mentes influxurum sperauit; segnes enim nos efficit nimia artis affectatio, et magis nobis placent quae poeta sponte sua ex animo effudit quam quae ingenti mentis contentione exprompsit. Plerumque igitur Apollonius elegantiam et ueritatem requirit, Valerius autem noster grauia et ualida et ingenti impetu rapta oratoriisque ornamentis saepe fucata.

At certe non fuit spernendus scriptor; nam quotiens ingentes sensus depingit, mirum est quantum eius oratio cum ipsis rebus bene congruat. Vidimus iam et significare conati sumus quam feliciter non semel Apollonii Rhodii opus retractauerit. Carmen igitur composuit quod omni seruili imitatione immune uidetur, neque est a posteris despiciendum. Non equidem puto falsam de eo senten-

tiam tulisse Quintilianum. Tanta ui et grauitate magna Argonautarum facinora narrauit ut Statium et Silium Italicum superauisse mihi uideatur; plus acuminis in illo et mira res effingendi facultas, quas uere oculis nostris subici dicamus; apud hunc autem ingens est scribendi et uerborum ambitus expolite concludendi cura, et, quod est praecipuum, facillimum ingenium; sed uterque nec uim illam nec personas depingendi singularem sibique constantem artem exhibet. — Ergo speramus fore ut poeta ille, tam diu derelictus et aliquantum contemptus in suum locum restituatur meritamque famam obtineat. Utinam si non nostro, at certe aliquo alio labore, in lumen rursus prodeat rediuiuus, ut Ioannis Baptistae Pii[1] uotum non sine causa referam, « olim semilacer expeditionis Argonauticae suauissimus modulator! »

1. Io. Baptista Pius Bononiensis cliens ad R. Iulium Medicem Florentinum. — Ed. Lemaire t. I, p. xxxv.

Vidi ac perlegi
Lutetiae Parisiorum in Sorbona
a. d. iv Kal. oct. ann. MDCCCXCVII

Facultatis Litterarum in Uniuersitate Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR :

Academiae Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX NOMINUM

Numerus paginam notat. — *n* ad notulas legentem reducit.

Absyrtus, 56, 85, 100, 106.
Acastus, 60.
Achaemenides, 124.
Acheron *flumen*, 9, 10.
Acherusia *promuntorium*, 9.
Aea, 17, 61.
Aeetes, 16, 17, 22, 23, 24, 76, 79, 85, 118, 127.
Aegaeum *mare*, 4, 11.
Aeneas, 122 et 123, 124.
Aeolus, 111, 122.
Aeria (Aegyptus), 10.
Aeson, 36, 44, 59, 77, 120, 123, 127.
Alani, 16, 17.
Albani, 16.
Albani *dicta uilla*, 66.
Alcimede, 43, 44, 85, 120.
Alcinous, 24.
Alexandrina *aetas*, 1, 2, 3, 33, 109.
Amazones, 10.
Ammianus, 19.
Amphinome, 59.
Amycus, 5, 41, 52, 70.
Amyrus *flumen*, 12.
Anaphe insula, 27.
Anaurus *flumen*, 108.
Anausis, 17.
Ancaeus, 89, 91.
Andromache, 121.
Antiphilus, 66.
Aphrodite, 33, 92, 104 et 105, 109.
Apollo, 12, 26, 28, 34, 104, 107, 110.
Apollodorus, 6.
Apollonius. Poetae *eruditio* : 8-12, 13, 14, 26-30. — *ars* : 33-43, 46-55, 58, 62, 68-72, 76, 80 sqq. passim, 104-110, 116, 126.
Aquites, 56.
Aratus, 2 *n*.
Ares, 109.
Arete, 82.
Aretias insula, 13, 80, 104, 106.
Argo *nauis*, 4, 7, 34-36, 64, 105, 118.
Argonautae, Argonautarum iter, 3 sqq. — 8, 111, 113. — Argonautae a Valerio et Apollonio nominati uel omissi, 31 *n*.
Argus, 36, 76, 110, 114.
Ariasmenus, 56.
Arimaspi, 18.
Aristaeus, 12
Aristoteles, 127 et *n*.
Artabanus, 16.
Artacia *fons*, 34.
Artemidorus, 6.
Artemis, 47.
Asclepias, 8.
Athos, 11.
Atlas, 29.
Auchatae, 20.
Auchus, 17.

Bacchus uel Dionysus, 20, 28, 29.
Baehrens, 3 et *n*, 40, 41.
Balloniti, 18.
Bastarnae, 17, 18, 19, 23.
Baumeister, 67 *n*.
Bebryces, 5.
Bechirae, 9.
Bisaltae, 17.
Bithynia, 9, 10.
Boreas, 12, 111, 118, 122.
Borysthenes, 17.
Bosporus, 5.
Burmann, 3 *n*.

Bussenius, 68 *n.*
Butes, 31.
Byzeri, 9, 15.

Caesar, 19.
Calais, 12.
Callichoros, 28.
Callisthenes, 8.
Campesus, 56.
Canthus, 56.
Carambis *promuntorium*, 9.
Celtae, 21.
Celtica palus, 105.
Centauri, 36.
Centores, 18, 20, 57.
Ceres uel Demeter, 29.
Chalciope, 82, 113.
Charybdis, 105.
Chatti, *Prooemium*, 2 *n.*
Chiron, 83.
Choatrae, 18, 20, 57.
Cicero, *Prooemium*, 1 et *n.*
Cinaethus, 8.
Circe, 98, 118.
Cleon Curiensis, 8
Clite, 121.
Coelaletae, 17, 21, 23.
Colaxais, 21.
Colaxes, 21, 57, 116, 117.
Colchi, 6, 15, 17, 24, 105, 115.
Concani, 22.
Coralli, 17, 18, 19.
Corcyra, 29
Corradinus (P. Marcellus), *Prooemium*, 2 *n.*
Cotys, 16.
Creophilus, 8.
Cretheus, 60.
Creusa, 28, 61, 67.
Cronus, 28, 29.
Cyaneae *rupes*, 9, 50-52, 114.
Cybele (V. *sub uerbo :* Dindymena), 80, 123.
Cypris (V. *sub uerbis :* Aphrodite, Venus).
Cyrene, 12.
Cyris, 17.
Cyzicus, 5, 26, 60, 89, 91, 118, 123.

Danuuius fluuius, 7.
Dares, 53, 123.
Dei, 104-120, 127.
Deilochus, 8.
Diana, 47.
Dindymena mater, 26.
Diodorus Siculus, 31, 32, 59, 60, 120.
Dionysos (V. *sub uerbo :* Bacchus).
Diphilus, *Prooemium*, 2.
Dodonaea quercus, 124.
Doliones, 6, 26, 35.
Dolops, 11, 12.
Domitianus, *Prooemium*, 2 *n.*
Draco, 58.
Drangaei, 18, 21.
Drepane, 29.
Dryope, 47.

Echion, 124.
Electra, 29.
Electris *insula*, 105.
Emodes *mons*, 18.
Enipeus, 113.
Entellus, 53, 120.
Ephydatia *Nympha*, 47.
Erato, 104.
Eratosthenes, 6, 7, 18.
Erginus, 7.
Eridanus, 6, 66.
Eros, 34, 106, 109, 110.
Erythraeum mare, 6.
Etesii uenti, 12, 29, 80.
Euander, 123.
Euboaea, 29.
Eumelus, 8.
Euphemus, 51, 118.
Eurymenae, 11.
Eurynome, 28.
Eurytus, 42.
Exomatae, 18, 20.

Fama, 118.
Frontinus, *Prooemium*, 2 *n.*

Galatea, 64.
Ganymedes, 66.
Gesander, 23, 55, 56.
Getae, 21.
Gigantes, 12, 126.
Glaucus, 76, 78, 81, 107.
Graecorum *imitatio*, *Prooemium*, 1.
Greiff, 122 et *n.*, 124 et *n.*
Grueneberg, 54, 55, 121 *n.*, 124 et *n.*

Hadria, 7.
Haemus, 17.
Halys *fluuius*, 9.

Harpyiae, 5, 124.
Hecataeus, 5.
Hecate, 26, 58, 99, 115.
Hector, 123.
Heinsius (Nic.), 3 *n.*, 59.
Helbig, 66.
Helle, 65, 66, 80, 126.
Hemardinquer, 43 *n.*, 93 *n.*, 100 *n.*, 102 *n.*, 108 *n.*
Heniochi, 16, 17.
Hephaestus, 34, 105.
Hera, 33, 104, 108, 109.
Hercules, 5, 28, 30, 31, 39, 42, 48, 49, 61, 63, 65, 83 sqq., 108, 111, 113, 120.
Hermannus (God.), 127 et *n.*
Herodorus, 5.
Herodotus, 18, 21 et *n.*, 61 et *n.*
Hesione, 31, 32, 60-61, 63, 66, 121.
Hesperides, 83, 107.
Hiberi, 16.
Hierosolyma urbs, *Prooemium*, 2 *n.*
Hister, 6, 7, 105.
Homerus, 24, 28, 120, 121, 127, 128.
Homole *mons*, 11.
Horatius, 22 et *n.*, 121, 129.
Hylas, 5, 46, 61, 111, 113, 124.
Hyllaei, 107.
Hypanis fluuius, 20.
Hyperboraei, 19, 28.
Hypsipyle, 45, 46, 52, 82, 87.
Hyrcani, 18.

Iason, 43, 44, 58, 76, 81, 86 sqq., 113, 121, 122, 123, 125, 127, 128, 129.
Iazyges, 18.
Iberia, 17.
Idas, 42.
Idmon, 26, 27, 81.
Indus *flumen*, 18.
Inferum *mare*, 6.
Internum *mare*, 7.
Io, 65.
Iolcos, 11.
Iris, 29, 105. — *flumen*, 9.
Iuno, 81, 97, 110, 111, 112, 113, 118, 122, 124.
Iuppiter — Zeus : 106, 108 — Iuppiter : 113, 115-118, 122.

Lactantius, *Prooemium*, 2 *n.*
Langen, 67 *n.*
Laomedon, 60.
Lapithae, 36.
Latona, 29.
Lemaire, p. 3 *n.*, 41.
Lemniorum *caedes*, 52.
Lemnos, 4, 11, 45.
Liuius, 19.
Lucanus, 48, 56, 57, 126.
Lycus, 10.

Macris, 29.
Macrones, 15.
Magnesia, 11, 12.
Mair, 17 *n.*
Mariandyni, 5, 9, 10.
Mars, 110, 111, 112, 115, 122.
Martis *insula*, 9.
Medea, 24, 57-59, 67, 77, 92-104, 113, 120, 125, 126, 128, 129.
Mela, 17 et *n.*, 18, 19 et *n.*, 20 *n.*, 21 et *n.*, 75 *n.*, 120.
Melas *promuntorium*, 9.
Meleager, 78, 86, 127.
Melite, 30.
Menander, *Prooemium*, 2.
Minerua siue Pallas apud Valerium, 64, 81, 110, 111, 112, 113, 114, 115, 122.
Misenus, 123.
Mopsus, 26, 27, 78, 81, 100, 127.
Mycelae, 22.
Myraces, 23.
Mysia, 5.

Nausicaa, 24.
Neptunus, 110, 111, 113, 122.
Nero, 16.
Nilus *flumen*, 5, 10.
Nymphae Libycae (V. *sub uerbo* : Hesperides).

Oceanos, 6.
Odrussa, 23.
Olympus, 11.
Oncheus, 56.
Ophioneus, 28.
Orpheus, 26, 80, 82.
Ossa, 11.

Padus, 7.
Pagasae, 4.
Pallas Athene, 33, 34, 105, 109.
Pallas *iuuenis*, 57, 123.
Pallene, 11, 12.
Paphlagones, 9.
Paraebius, 80.

Parthenia, 30.
Parthenius *fluuius*, 29.
Parthi, 16.
Peleus, 36, 83.
Pelias, 59, 60, 121.
Perses, 15, 17.
Peters, 2 *n.*, 21 et *n.*
Petilius Cerealis, *Prooemium*, 2 *n.*
Phaethon, 61, 66.
Phalces, 17.
Phasis, 5, 6, 7, 9, 61, 63, 64, 66.
Philostratus, 66.
Philyra, 28.
Philyri, 9, 15.
Phineus, 5, 9 sqq., 77, 82, 127.
Phlegyas, 65.
Phoebus (V. *sub uerbo :* Apollo).
Phoebi *templum*, 32, 61, 67.
Phrixus, 66, 118.
Phrixi *filii*, 80.
Pindarus, 3, 5, 120, 121, 128.
Pisander, 8.
Planctaeae rupes, siue Symplegades (V. *sub uerbo :* Cyaneae).
Plautus, *Prooemium*, 1.
Plinius, 7, 17 et *n.*, 18.
Pollux, 41, 52-55, 70.
Polyphemus, 36.
Pontus, 6, 7.
Promachus, 59.
Prometheus, 39, 40, 65, 126.
Pythia, 107.
Pythicum *carmen*, 3, 121, 128.

Quintilianus, 1 et *n.*, 2, 130.

Rhebas *fluuius*, 9.
Rothstein, 59.
Rubrum *mare*, 7.

Sacri libri, 29.
Salmydessus, 10.
Samothraca, 5, 29.
Sapeirae, 9.
Sarmatae, 15, 18, 23, 55.
Sarpedon, 56, 116.
Satarchae, 18.
Schenkl, 2 *n.*, 19 et *n.*, 60 *n.*, 72 *n.*
Scheria *insula*, 29.
Sciathos *insula*, 11 et *n.*
Scymnus, 6.
Sepias, 11.
Sesostris, 61.
Setia *urbs*, *Prooemium*, 2 *n.*
Sidonii, 17.
Silius Italicus, 130.
Sindi, 21.
Sinope, 29, 39.
Sirenes, 82, 107.
Sirius, 12.
Sol, 110, 111, 112, 115.
Somnus, 58.
Sophocles, 5.
Soupé, 121 et *n.*
Statius, 130.
Sthenelus, 28.
Strabo, 7, 16, 17 *n.*, 21 et *n.*
Styrus, 85, 124.

Tacitus, 16 *n.*, 19 *n.*
Talaus, 42.
Talus, 69.
Tanais, 6.
Telamon, 56, 78, 86 sqq., 127.
Tenos *insula*, 12.
Terentius, *Prooemium*, 1.
Themiscyrium, 9.
Theocritus, 54.
Thermodon *fluuius*, 9.
Thessalia, 10, 11.
Thetis, 36, 105.
Thilo, *Prooemium*, 2 *n.*, 40, 41, 59 *n.*, 60 *n.*, 72 *n.*
Thraces, 22.
Thracia, 10, 15, 62.
Thynias *portus*, 9; *insula*, 12, 26, 104.
Thyrsagetae, 20.
Tibareni, 5, 9, 14, 15.
Tiberius, 15.
Timaeus, 6.
Timagetus, 6, 8.
Tiphys, 27, 89, 127.
Tiridates, 16.
Titanes, 28.
Titus, *Prooemium*, 2 *n.*
Tityus, 104.
Toryni, 18.
Triton, 83, 107. = *Nilus*, 10.
Tritonis *lacus*, 83, 107.
Turnus, 124.
Tyras *fluuius*, 17.
Tyrrhenum *mare*, 7, 72 *n.*

Uranus, 29.

Valerii Flacci *uita : Prooemium*, 2 *n.* — *ars :* 4, 5, 7, 10 sqq., 14-25, 26 sqq., 36, 37, 38 sqq., 49 sqq.,

68 sqq., 76-80, 80 sqq., 109-120, 120 sqq.
Venus, 28, 65, 98, 111, 112, 113 sqq., 118, 122.
Vergilii *Aeneis*, 4 et *n.*, 39, 54, 120, 121 sqq., 128.
Vespasianus, *Prooemium*, 2 *n.*, 6, 10.
De la Ville de Mirmont, 27 *n.*, 29 *n.*, 104 *n.*, 108 *n.*, 116 *n.*, 118 *n.*
Vogel, 67.
Vologaesus, 16.
Vonones, 16.
Vulcanus, 63.

Wagner, 72 *n.*

INDEX LIBRORUM

QUIBUS PRAECIPUE USI SUMUS

Apollonii Rhodii *Argonautica*. Recensuit Merkel. — *Scholia uetera* ed. Keil, Lipsiae, 1854, 8°.

Editio minor. Rec. Merkel. Lipsiae, Teubner, 1882, 12°.

C. Valerii Flacci Setini Balbi *Argonauticon* libros octo edidit N. E. Lemaire. Parisiis, Lemaire et Didot, 1824, 2 vol. 8°.

C. Valerii Flacci *Argonauticon* libri octo. Recensuit Georgius Thilo. Halis Saxonum, 1863, 8°.

C. Valerii Flacci *Argonauticon* libri octo. Recogn. *Aem.* Baehrens. Leipzig, Teubner, 1875, 12°.

Non licuit nobis hunc librum in manus sumere : P. Langen, *C. Valerii Flacci Argonauticon* libri octo, 1896-1897, Berolini, Calvary, 8° (Cf. *Revue de philologie*, t. XXI, 3e livr, p. 210, quae de illo opere scripsit De la Ville de Mirmont).

Apollonios de Rhodes. *Les Argonautiques*, traduction suivie de notes par H. de la Ville de Mirmont. Bordeaux, Gounouilhou, et Paris, Rouam, 1892, 4°.

Baumeister. *Denkmäler des klassischen Altertums*. München, Oldenbourg, 1867 sqq.

Fabricius. *Bibliotheca graeca*, ed. 4, curante Gottlieb Christophoro Harles. Hamburgi apud Carolum Ernestum Bohn ; Leipzig, Breitkopf, 1795, t. IV.

Couat. *La Poésie alexandrine sous les trois premiers Ptolémées*. Paris, Hachette, 1882, 8°.

Schanz. *Geschichte der römischen Litteratur*, Handbuch der klassischen Altertums-Wissenschaft, von Dr Iwan von Müller. München, Beck, 1892, t. II, n. 397-400, 4°.

Teuffel. *Histoire de la littérature romaine*, traduction Bonnard et Pierson, t. II, n. 317. Paris, Vieweg, 1880, 8°.

Weichert. *Ueber das Leben und Gedicht des Apollonius*. Meissen, 1821, 12°.

Hemardinquer. *De Apollonii Rhodii Argonauticis.* Paris, Thorin, 1872, 8°.

Walther (Ricardus). *De Apollonii Rhodii Argonauticorum rebus geographicis.* Halis Saxonum, 1890, 8°.

Peters (Joannes). *De C. Valerii Flacci uita et carmine.* Regimonti, Hartung, 1890, 8°.

Schenkl (Karl). *Studien zu den Argonautica des Valerius Flaccus.* Wien, Karl Gerold, 1871, 8°.

Grueneberg (Arthur). *De Valerio Flacco imitatore.* Berolini, Heinrich, 1893, 8°.

Moltzer (M. N. J.). *De Apollonii Rhodii et Valerii Flacci Argonauticis.* Trajecti ad Rhenum, Breijer, 1891, 8°.

Greiff (J.). *De G. Valerii Flacci Argonauticis cum Vergilii Maronis Aeneide comparatis,* programma. Trento, Giovanni Seiser, 1869, 8°.

Löhbach (R.). *Bemerkungen zu Valerius Flaccus,* Programm. Mainz, Prickarts, 1876, 4°.

Bussenius. *De Valerii Flacci in adhibendis comparationibus usu,* Programm. Lübeck, Schmidt, 1872, 4°.

Schmitz (Matthias). *De Valerii Flacci dicendi genere quaestiones.* Monasterii, Regensberg, 1872, 8°.

Gebbing (H.). *De C. Valerii Flacci tropis et figuris.* Marburgi Cattorum, Friedrich, 1878, 8°.

Gebbing (H.). *De C. Valerii Flacci dicendi genere quaestiones.* Coblenz, Krabben, 1888, 4°.

Koesters (H.). *Quaestiones metricae et prosodiacae ad Valerium Flaccum pertinentes.* Monasterii, Theissing, 1893, 8°.

Langen. *Index lectionum in Academia Monasteriensi per menses aestiuos anni 1894.*

Soupé. *Études sur l'Épopée latine.* Paris, Durand, 1842, 8°.

Roscher. *Lexicon der Griechischen und Römischen Mythologie.* II². Leipzig, Teubner, 1890, 8°.

De la Ville de Mirmont (H.). *La Mythologie et les Dieux dans les Argonautiques et dans l'Énéide.* Paris, Hachette, 1894, 8°.

Apollodori *Bibliotheca, Fragmenta historicorum Graecorum,* t. I. Ed. Carolus et Theodorus Müller. Paris, A. Didot, 1874, 4°.

Diodori Siculi *Bibliothecae historicae* quae supersunt ex noua recensione Ludouici Dindorfii. Ed. Car. Müllerus. Paris, Didot, 1875, 4°.

Herodoti *Musae.* Ed. Dretsch. Leipzig, Teubner, 1878, 2 vol.

Historicorum *Fragmenta.* Ed. Car. et Theod. Müller. Paris, Didot, 1874, 4°.

Mair (G.). *Das Land der Skythen bei Herodot,* Programm, Saaz, 1884, in duas partes diuisum opus.

Mela (Pomponius). *De Chorographia libri tres.* Ed. Carolus Frick. Leipzig, Teubner, 1880, 12°.

Plinii *Naturalis Historia* Recognouit Ludouicus Ianus. Leipzig, Teubner, 1870-1878, 12°.

Strabonis *Geographica.* Ed. Müller et Dübner. Paris, Didot, 1853, 4°.

Cartault (A.). *La Trière athénienne.* Paris, G. Thorin, 1881, 8°.

Helbig. *Wandgemälde der vom Vesuv verschütteten Städte Campaniens.* Leipzig, Breitkopf und Härtel, 1869, 8°. — *Führer durch die öffentlichen Sammlungen klassischer Alterthümer in Rom.* Leipzig, Baedeker, 1891, 2 vol. 12°.

Vogel. *Scenen Euripideischer Tragödien in griechischen Vasengemälden.* Leipzig, 1886, 8°.

Philostrati *opera.* Ed. Kayser. Leipzig, Teubner, 1870-1871, 12°.

Ammiani Marcellini *Rerum gestarum* libri qui supersunt. Ed. Gardthausen. Leipzig, Teubner, 1874, 12°.

C. Julii Caesaris *Commentarii.* Recognouit Bern. Dinter. Leipzig, Teubner, 1886, 12°.

T. Ciceronis *Tusculanarum disputationum* libri quinque. Ed. M Seyffertus. Lipsiae, Holtze, 1864, 8°.

A. Gellii *Noctes Atticae.* Ed. Hertz. Leipzig, Teubner, 1877, 12°.

Lucani *Pharsalia.* Recognouit J. A. Amar. Paris, Lefèvre, 1822, 18°.

Pindari *carmina.* Recognouit W. Christ. Leipzig, Teubner, 1882, 12°.

M. F. Quintiliani *Institutionis Oratoriae* libri duodecim. Recensuit Ed. Bonnell. Leipzig, Teubner, 1883, 12°.

C. Suetonii Tranquilli quae supersunt omnia recensuit Lud. Roth Leipzig, Teubner, 1875, 12°.

Tacitus. *Germania.* Zernial. Berlin, Weidmann, 1890, 8°.

Bucolicorum Graecorum, Theocriti, Bionis, Moschi reliquiae. Recensuit H. L. Ahrens. Leipzig, Teubner, 1887, 12°.

Virgile. Ed. Benoist. Paris, Hachette, 1876 sqq. 3 vol. 8°.

Lactantius. *De diuinis Institutionibus.* Patrologia latina, Migne, t. VI, 1844.

INDEX

	Pag.
PROOEMIUM	1
CAPUT I. — De rerum ordine et Argonautarum itinere. . . .	3
CAPUT II. — De terrarum descriptione	8
CAPUT III. — De Barbarorum moribus depingendis	14
CAPUT IV. — § 1. De caerimoniarum et sacrorum descriptione. — § 2. De antiquitatis scientia	26
CAPUT V. — Quam parum Valerius in exprimendis rebus ad ueritatem ipsam se accommodet	33
CAPUT VI. — § 1. Qua ratione Valerius Apollonium sit imitatus. — § 2. De propria eius arte	38
CAPUT VII. — De comparationum usu	68
CAPUT VIII. — De orationum usu	76
CAPUT IX. — De personis	80
CAPUT X. — De Deorum ministeriis	104
CAPUT XI. — Paucissima extra rem. — Epilogus	120
INDEX NOMINUM	131
INDEX LIBRORUM	136

Nanceii, typis Berger-Levrault et sodalium.

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ DE PARIS